RUDIMENTA POETICA QUIBUS TRADITUR ARTIFICIUM VERSUS...



15

RUDIMENTA
POETICA



QUIBUS


Traditur artificium Versus Hexametri, & Pentametri eleganter concinnandi

AD USUM
CANDIDATORUM
LATINÆ POESEOS

Ex variis Auctoribus petita.








VENETIIS, M. D.CCV.

Apud Laurentium Baseggio.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.



DE ARTE VERSIFICATORIA.



Ulti pangunt versus; sed inelegantes, & inconcinnos. Quia scilicet putant satis esse versui, si pedes habeat, & metrum nihil peccet in his. Verùm hoc satis non esse ostendunt eximii Poetæ, qui tantam curam impenderunt in versus concinnitate. Hic nonnulla ad elegantem, concinnamque ejus compositionem dabo, ex quibus manuducatur Adolescens. Continebo me tamen in iis quæ faciunt ad versus Hexametros, & Pentametros: quando quidem illi sunt, quibus primò componendis solet insudare. Nomine versus Hexametri intelligo illum, qui sex pedibus constat, dactylis, & spondeis: qui etiam vocatur heroicus. Pentametrum autem voco illum, qui constat quatuor pedibus (dactylis, & spondeis) & duabus cæsuris: quo utuntur Elegiaci, hexametro illum subjungendo.

DE INELEGANTIA.
Versus Heroici.

(a) 1. INelegans est versus Heroicus, sive Hexameter, in quo nulla est cęsura. Cęsura dicitur ultima syllaba dictionis poli-

Primũ caput inelegantiæ versus hexametri.

lissyllabæ, quæ supereſt alicui pedi. Quod dupliciter poteſt contingere. *Primò*, ut ſit avulſa à reliquis pedibus, ut contingit in verſu pentametro; quo utuntur Elegiaci, in quo poſt duos primos pedes eſt ſyllaba avulſa à ſequentibus pedibus. *Secundò*, ut ſit conjuncta cum pede, qui ſequitur: ut in heroico. E. G.

IntereA medium ÆneAS jam claſſe tenebat.

Hæc autem ſyllaba dicitur cæſura, eo quod quodammodo cædat dictionem: quatenus in illa truncat pronunciationem ſuam, quieſcendo tantiſper: ut manifeſtiſſimè patet in cæſura verſus pentametri. Servit cæſura modulationi, & harmoniæ, quæ naſcitur ex tantilla quiete, ex qua reſpirat pronuncians verſum, & audiens.

Erit igitur inelegans ille verſus heroicus in quo nulla ſit cæſura. Cujuſmodi eſt ille.

Veſtro dignos Phœbo Muſe pangite verſus.

Patebit hujus verſus inelegantia, opponendo illi alium elegantiſſimum, in quo ſunt tres cæſuræ: Hic autem eſt.

Muſa mihi cauſAs memorA, quo numine læſo.

Tres illæ cæſuræ connectunt unum pedem cum alio, eaque de cauſa creant harmoniam.

(a) II. Inelegans eſt verſus (ut plurimum) hexameter, qui conſtat ſolis ſpondeis. Qualis eſt Ennianus ille.

Cives Romani, tunc facti ſunt Campani.

Dixi ut plurimum. Quia aliquando uſurpari

(a) *Secundum caput ejuſdem inelegantiæ.*

pari potest cum virtute ab aliquo eximio Poeta, qui per versum hunc inelegantem velit rem inelegantem exponere.

III. Inelegans est idem versus, si claudatur monosyllabo; nisi cæteroqui monosyllabum illud energiam aliquam habeat peculiarem. Ut est ille Virgilianus.

Procumbit humi Bos.

IV. Est inelegans idem versus, si ea syllaba, quæ collocatur in medio, repetatur in fine. E. g.

Vir, precor uxori, frater succurre Sorori.

Et illud tetrasticon de vino aqua diluto

In cratere meo Thetis est conjuncta Lyæo
Est Dea juncta Deo, sed Dea major eo.
Nil valet hic, vel ea; nisi sint ābo pharisęa
Amodo propterea sit Deus absque Dea.

A quibusdam hi versus vocantur versus Leonini: qui sicut laudem aliquando habent ex circumstantia, in qua adhibentur, ita à carmine heroico sunt excludendi; quia propter risum, quem pariunt, dedecorarent ejus Majestatem.

V. Etiam inelegans est versus hexameter, qui desinit vocē quadrisyllabam. Ut est ille.

Implevitque locos omnes tristi statione.

Nisi peculiaris aliqua ratio illum commendet. Quam Tyro poetices credere debet contigisse, si apud auctores cæteroqui magnos reperiantur hujusmodi versus.

VI. Multò magis esset inelegans, si desineret in vocem, quæ sex, vel octo syllabis constaret, ut ille.

Tertium caput inelegantiæ. Quartum caput. Quintū caput inelegantiæ. Sextū caput, &c.

Conturbabantur Constantinopolitani
Innumerabilibus solicitudinibus.

VII. Inelegans est versus hexameter, cujus ultimum spondeum præcedit aliqua elisio: Ut

Non alius quisquam ut tibi amicus, & ingenium ingens.

Et multo inelegantior, si desinat in vocem pentasyllabam, hoc est quinque habentem syllabas. Ut

Dardaniosq; lares græca agmina diripuere

VIII. Inelegans est ille versus hexameter, in quo auditur nimis frequentata eadem syllaba; ut in illo ineptissimo.

O'Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti.

XI. Inelegans est versus hexameter, qui constat pluribus vocibus longis simul coacervatis. Ut ille ex Horatio

Ambubajarum Collegia Pharmacopolæ.

Ratio est, quia non habet varietatem in cæsuris, & intervallis,

X. Etiam erit inelegans, si constet multis monosyllabis simul conglutinatis, ut ille

Si tu cum nos hæc famur, bona verba rependas.

Et alius

Quas & agam grates tibi nunc? qui te Duce veni.

XI. Inelegans est, in cujus fine sunt duo monosyllaba: ut

Nec te, vel verbis, vel factis læsimus, ut tu

XII. Erit inelegans idem versus; si ex-

or-

Sextum caput, &c. 7. caput &c. 8. caput &c.
Nonum caput &c. Decimum &c.
Undecimum &c. Duodecimum.

ordiatur à monoſyllabo cum eliſione. E. g.

Cũ intereà celſo volucris deſcẽdit ab axe.

Vel

Quæ ãtiqua referat ſub religione penates.

XIII. Fiet idem verſus inelegans, ſi contineat voces duriſſimas; hoc eſt difficilis pronunciationis. Ut ille

Quiqua jæ extremus Rex Guarionexius orę

Et alius

Tempore quo has terras petii Rex Guathanarillus.

XIV. Inelegans eſt verſus hexameter, ſi in ejus fine habeantur adjectiva, & participia in Ans, & in Ens. Non nego tamen illa reperiri apud bonos auctores, ſed aut rarò, aut cum virtute: Tyro, cujus gratia hęc ſcribo, non eſt adhuc capax harum virtutum.

XV. Inelegans fit verſus hexameter, in quo ſint verba nimis humilia, præſertim in fine verſus, & non bellè cadentia ad aures. E. g.

Felix ãte alias, qua Cæli es facta Feneſtra.

Et *Tuq; pudicitiæ ſpeculum admirabile nãq;*

ADMONITIO.

Atque hæc, quæ attuli ſunt nonnulla capita, ex quibus redditur inelegans verſus, quem dicimus heroicum, & hexametrũ. Heroicum, quia illo utitur Epopeja carmen factum ad celebrãdos Heroas: Hexametrum,

---

Decimum tertium.
Decimum quartum.
Decimum quintum caput in elegantiæ, &c

quia constat sex pedibus. Nunquam esset finis si recensere velim omnia ex quibus redditur inelegans. Tyroni satis est, si allata declinaverit.

Nollem tamen ille offenderetur, si apud probatos auctores reperiret (& certè reperiet) versus illa habentes, quæ damnavimus. Quia ab illis hæc omnia cum virtute fiunt: ut videre est in Lucretio, & in Horatio: quorum versus inerudito videntur inelegantes, cum tamen sint elegantissimi, & cum prudentia usurpati. Cum enim illi Poetæ res non ornent, sed exponant; neque argumenta tractent heroica, sed dogmatica; illa benè decuit, & cum laude, versus qui videtur inartificiosus, & inelegans; cum tamen inelegantia ipsa apud illos sis artificiosissima, & elegantissima nullo autem modo, aut frigida, aut inepta, sed maximè acuta, & apta.

Illud quidem admoneo versum hũc maximè fieri inelegantẽ quãdo cadit. Dicitur autẽ cadere, quando aut vix, aut parum recedit à prosa. Quod ex multis capitibus contingere potest, quæ usus, & lectio bonorum Poetarũ ostendent Tyroni amanti elegantiam versus. Propterea Magistri sæpiùs ĩculcẽt, ut versus sustentetur; Fortasse ducta similitudine ab equo. Dicitur enim Oratio metrica esse equestris; soluta verò pedestris. Quare sicut qui ĩsidet equo maximè curat, ut gradarius sit equus, & erecto decenter capite incedat (quod obtines per habenas ritè tractatas) ita qui versus componit, valde solicitus esse debet, ut sustentetur, & discedat (sine affectatione) à soluta Oratione.

NON

NONNULLA CAPITA.

Ex quibus fiet elegans versus hexameter.

I. Fiet elegans versus hexameter ex variatione cæsuræ; quæ variari potest pluribus modis. Et primò post primum pedem versus; & dicitur Triemimeris; sive semitertiaria. E.g.

SiceliDES Musæ paulò majora canamus.

Secundò post secundum versus pedē, & dicitur Pentemimeris, sive semiquinaria, E.g.

Italiam FATO profugus, Lavinaq; venit.

Tertiò post tertium pedem, & dicitur Hepthemimeris, sive semiseptenaria E. g.

Et tandē EuboiCIS Cumarū allabitur oris.

Quartò post quartum, & dicitur ennemimeris, sive seminovenaria. E.g.

Grajus homo infectos liquens profugUS hymanæos.

Hæ cæsuræ appellantur etiam Semipedes; hoc est media pars pedis (qui non potest cōsistere in una syllaba, sed duas ad minimum petit) & beneficio cæsuræ fit, ut syllaba cæteroqui brevis evadat lōga. Hoc autem cōtingit, non licentia, sed quia verè duo tempora (hoc est intervalla) insumuntur in ea syllaba, in quam cadit cæsura. Cū enim Cesura efficiat, ut quiescamus tantisper in illa syllaba, in qua est, illa quies, sive silentium æquivalet uni tempori. Dixi elegantē fieri versū ex variatione cæsuræ; quod intelligi debet, quando multi versus habentur. Ex quo improbatur Claudianus, qui cæsuram nō variat in versibus suorum poematū, sed eodē ferè loco (hoc est in tertio pede) habet

I. *Varietas cæsuræ.*

cæsuram. Virgilius autem tanto artificio illam variat, ut vix deprehendatur.

II. Elegantissima erit cæsura, si contingat in fine aut commatis, aut membri. Delectatur enim maximè Auditor, si eodem tempore ejus auris quiescat (quod habet à cæsura) & mens, quod contingit, si illa sit aut in commate, aut in membro. Ecce cæsuram in fine commatis.

Vi superUM, sævæ & memorem Junonis ab ira.

In fine autē membri ecce pariter cæsuram.

Arma, Virumque caNO, Trojæ qui primus ab oris.

III. Fiet elegans versus Hexameter si variaverit pedes. Hæc variatio pedum nascitur ex mixtione eorumdem: ita ut in contextu Poematis variè permisceantur, & permutentur: neque semper spondeis utamur, neque semper dactylis &c. Hanc variationem diligentissimè exposuit Pater Joannes Baptista Ricciolius è Societate Jesu, & est hujusmodi.

Primò quatuor dactyli continenter ponuntur. E. g.

Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.

Secundò tres dactyli continenter ponuntur, deinde spondeus. E. g.

Tityre tu patulæ recubās sub tegmine fagi

Tertiò Duo dactyli continenter ponuntur, deinde duo spondei. E. g.

O Me-

II. Cæsura variata in fine commatis; & membri.

III. Variatio pedum.

O Meliboee Deus nobis hæc otia fecit.

Quartò. Ponuntur duo Dactyli, deinde spondeus, & Dactylus. E.g.

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.

Quintò. Ponitur Dactylus, spondeus, & duo dactyli. E.g.

Sepè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus

Sextò. Ponitur Dactylus, deinde tres spondei. E.g.

Et penitus toto divisos Orbe Britannos.

Septimò. Alternantur Dactyli, & spondei. E.g.

Ludere quę vellem, calamo permisit agresti

Octavò. Ponitur dactylus: deinde duo pondei, & dactylus. E.g.

Nos patrię fines, & dulcia linquimus arva

Nono. Ponuntur continenter quatuor spondei. E.g.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Decimò. Ponuntur tres spondei, & dactylus. E.g.

Urbē, quā dicunt Romā, Meliboee putavi.

Undecimo. Ponuntur duo spondei, dactylus, & spondeus. E.g.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Duodecimo. Ponuntur duo spondei, & duo Dactyli. E.g.

Mirabar, quod mæsta Deos Amarylli vocares.

Decimotertio. Ponitur spondeus, & dactylus, & duo spondei. E.g.

Quantū lenta solent inter viburna cupressi.

Decimoquarto. Ponitur spondeus, deinde tres dactyli. E.g.

Formosam resonare doces Amaryllida (sylvas

Decimo quinto. Alternantur ſpondei, & Dactyli. E.g.

Sylveſtrem tenui Musā meditaris avena.

Decimoſextò. Ponitur ſpōdeus: deinde duo dactyli, & ultimo ſpondeus. E.g.

Fortunate ſenex, tua quandò Regna manebunt.

Boni, & artificioſi Poetæ ſciunt opportunè, uti potius hac, quàm alia combinatione pedum, prò diverſitate rerum, quas exponunt. Quare ſi voluerint exprimere celeritatem, utentur Dactylis frequentatis. Dactylos frequentavit Virgilius, ubi explicavit velocitatem avis dicens.

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Frequentavit ſpondeos, ubi tardè laborantes Cyclopes in antro Vulcani deſcripſit; & cecinit

Ferrum exercebāt, vaſto Cyclopes in ātro.

Hanç virtutem oſtendiſſe Tyroni utile eſt: quamquā ab illo non ſit exacturus eā Pręceptor diſcretus. Poſſet quidē exercere illum in variandis allatis combinationibus, ut per hoc exercitium mēti illas imprimat.

IV. Fit elegans verſus hexameter ex varietate vocum; ita ut ponantur, modò lenes, modò aſperæ: modò ſonoræ, modò obtuſæ: modò duarum, modò plurium ſyllabarum. Hoc autem obſervatur, tum ad tollendam ſatietatem, quæ naſcitur ex ſimilitudine, tum ad comparandam harmoniam, quæ oritur ex diverſis ad unam conſonantiam compoſitis.

Hac

IV. Varietes vocum.

Hac occasione animadverto, monosyllabas voces habere ex sua natura, ut sistant, & sustentent versum; hoc est efficiant, ut tardè incedat, sive tarde pronūcietur. Propterea si videatur nobis versus nimis præcipitare, sisti potest collocatis monosyllabis: quod itē fiet, si aliquādo accōmodandi gratia versum sententiæ, vellemus tardè versum procedere. Voces dissyllabæ, binatim, ternatim, quaternatim dispositæ faciunt versum sonorum.

V. Fit elegans versus hexameter à varietate concludendi sententias. Ità ut interdum concludatur hemistichio, interdum uno versu, interdum duobus, &c. Hemistichio concludit Virgilius, ubi cecinit.

Tollite cuncta, inquit, cæptosquè auferte labores
Ætnei Cyclopes, & huc advertite mentē
Arma acri facienda VIRO.

Vno versu concludit sententiam, in sexto canens.

Sic fatur lacrymans, classiquè immittit habenas.

Duobus versibus concluditur ab eodem canente.

Sic memorat, geminasquè legit de classe bidentes,
Remigioq; aptat socios, simul ī struit armis

Hæc varietas concludendi sentētiam mirè venustat versū; simulquè admonet Tyronem Poeseos, ut diligenter caveat, ne producat merè versum ad producendam sētētiam, sive hanc ad producendum versum; sed

V. Varietas concludendi sententiam.

sed finem faciat utrique, quando id à sententia petitur. Sic enim vitabuntur superfluitates, quibus interdum mali Poetæ abundant ad explendum versum. Virgilius maluit relinquere hemistichia imperfecta, quam implere versus vanitate.

VI. Nascitur elegantia versus heroici à numero. Respicit autem numerus (sive harmonia) varias res, sed præsertim accentus, qui tres sunt. Acutus, qui attollit; gravis, qui deprimit syllabam. Circumflexus, qui partim attollebat, & partim deprimebat: nunc autem vix scimus, quid sit in vocibus latinis. Unaquæque vox habet accentum suum: sed tamen apud latinos antonomasticè nomine accentus venit ille, in quo syllaba attollitur, hoc est acutus. Hinc sequitur, ad multiplicationem vocum multiplicari accentus; ex quorum multiplicatione [si cetera adsint] dummodo omnes voces non sint monosyllabæ, fit jucundissimus versus. Talis est Virgilianus omninò elegantissimus[1].

Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.

In quo cum sint octo voces, sunt etiam octo accentus, hoc est vocis elevationes, quas Græci Arses vocant. Imò Jovianus Pontanus in Actio animadvertit, malvisse Virgilium dicere.

Multa quoQUE & bello passus, dum conderes Urbem.

Quàm *Multa ETiam*

quia in primo versu propter elisionem abun-

1. *Accentus in numero.*

bundavit conjunctio ET, qua carvisset secundus.

Si autem multitudo accentuum desit, multiplicari potest syllabarum numerus: ut fecit Virgilius, ubi cecinit.

Panditur interea Domus Omnipotentis Olympi. Idem numerus respicit Sinaloephem, & Etclypsim, quæ si rectè usurpentur, maximam versui comparant elegantiam, & multiplicando accentus dignitatem habent, præsertim in rebus gravibus, quibus deserviunt propter tarditatem, quam invehunt in versum. E.g.

Rupibus excidunt scenis DecoRa Alta futuris.

In quo versu concursus ejusdem vocalis A nobilitat versum. Hic porrò vocalium concursus, qui per Synalæphem habetur, vocatur complosio, sive resultus; complodũntur enim vocales; & inde tinnitus resultat, qualis resultaret ex complosione metallorum canororũ. Talis elegantia est etiam in illo versu habente tres complosiones.

Et vera incessu patuit Dea. Ille ubi MatrE.

Et in alio celeberrimo.

Ter sunt conatI Imponere Pellio Ossam.

In quibus omnibus versibus elegantia nascitur ex complosione, sive resultu, quia sonus multiplicatur, salvo metro versus. Verum quidem est hanc complosionem jucundiorem esse, quando contingit in vocibus græcis, ut

Glau-

---

a. *Synalæphæ, & Eclypses.*

Glauco, & PanopeOE, & Inoo Meli-certæ.

Ratio est; quia à græcis præsertim derivata est, licet ad latinos etiam transierit.

3. Faciunt etiam ad numerum illi versus, qui habent pedes inter se in dimetiendo (sive scandendo) complicatos, & insertos: hoc est, ita ut pes pedi inseratur, & veluti catenatus pedem appellet, & illi junctus incedat. Talis est.

Arma, virumque cano, Troję qui primus ab oris:

In quo videtis quàm belle pes pede propter cæsuram concatenetur. Quam quam varietatis causa solvantur hi pedes, & tamen maneat numerositas.

(a) Vt autem sciat lector meus, quandò versus incedant eleganter etiam pedibus solutis hæc habeat.

Primus pes versus rectè incedet solutus, si fuerit Dactylus. E.g.

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

Non ità benè incederet, si esset spondeus, E.g.

Fulmen detulit in terras mortalibus atrũ.

Nihilominus potest etiã collocari spondeus solutus, si sequatur spõdeus ligatus. E.g.

Ducunt ad natos, galeamque, ensemque vocati.

Aut etiam si sequatur dactylus item ligatus E.g.

Sed non antè datur telluris operta subire.

Si vo-

A. *Pedes complicati.*

(a) *Elegãtia versus ex varia solutione pedũ*

Si voces monoſyllabæ ſimul jungantur, tunc curandum eſt, ut pedes ſint dactli, frequentati. E.g.

Hic vir, hic, tibi quem promitti ſæpius audis.

Licet aliquando hi pedes ex monoſyllabis ſolvantur, ad explicandam tarditatem rei. Qualis eſt ille.

Illi inter ſe ſe de rebus agebant.

Poſt ſecundum verſus pedem eleganter fit ſolutio, cum, ſequuntur duo, vel plura diſyllaba, & pedes ſint dactyli. E.g.

Aut aliquis latet error: equo ne credite Teucri.

Poſt tertium etiam pedem fit hæc ſolutio benè, ſi in tertio loco fuerit dactylus, & pedes poſt illum ſequentes etiam dactyli. E.g.

Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent.

Vel etiam ſi idem pes tertius ſit ſpondeus qui ſiſtat in monoſyl abo; ut ille

Una dolo diuum ſi fœmina victa duorum eſt.

De cæteris pedibus nihil admonendum occurrit, cum omnia per ſe pateant. Hæc verò in exemplum attuli, ut appareat, & conquirendam eſſe numerorum varietatem, & pluribus poſſe modis conquiri.

Dixi *pluribus modis*: quia in hoc occupari debet diligentia Poetæ ad comparandam varietatem. Si enim ſemper uteretur numero ex ſpondeis naſcente, carmen fieret ſubtriſte, & tardum. Si ſemper eo, qui naſcitur ex dactylis, fieret carmen fluidũ nimis. Quarè ut tẽperatè fluat, sũt permiſcẽdi. Ne au-

autem artificium pateat, non eodem semper modo sunt permiscendi.

4 Numerus considerat voces, & literas sonantes. Voces sonantes illæ dicuntur, in quibus habentur vocales sonantes, quę duę sunt A, & O, & etiam E. Igitur si conquirantur vocabula, in quibus hæ vocales sint, elegans erit numerus, hoc est erit in illo harmonia, & modulatio, quæ oritur ex pedibus versus. Talis est ille Virgilianus.

Arma virumque CANO, TROJÆ qui primus ab Oris.

Imò Pontanus adnotat Virgilium solertissimum auriũ sublanditorẽ maluisse dicere.

Tot adire labores.

Quàm *Obire*: quia conjunctio particularum Tot, & ob aliquanto confragosior fuisset. Dixit tamen alio loco idẽ Virgilius.

Et lituo pugnas insignis obibat, & acta.

quia syllaba Is in voce *insignis* mitigabat asperitatẽ, quæ erat in sequenti voce *Obibat*.

Et quoniam nominavimus vocales sonãtes, placet hic proprietates omnium vocalium afferre spectantes ad earumdem sonũ.

Sunt igitur ex vocalibus aliæ clari soni: aliæ subobscuri. Clari soni sunt, A, O, I. Subobscuri E & U. Sonoræ A O: minus sonoræ E I U. Et omnes hæ vocales pro diversitate consonantium quibus junguntur, diversam consonantiam efficiunt, ut patere potest consideranti. Hanc diversitatem incredibile est quàm diligenter observent illi Poetæ, qui sunt maximè artificiosi. In quo utique conveniunt cum Musicis qui certè in suis mo-

4. *Voces, & literæ sonantes.*

modulationibus adjuvantur à vocalibus, & à vocibus, in quibus illæ dominantur.

5. Numeris illis debemus uti, quales petit res explicanda. Virgilius ut explicaret velocitatem Camillæ, implevit versus pedibus habentibus syllabas veloces (hoc est in quarum pronunciatione minimum temporis insumitur) tales enim sunt, qui sequuntur.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Ubi manifestum est, veloces esse syllabas: *Primò* quia breves. *Secundò* quia constantes vocalibus exilibus. *Tertiò* quia literis, quæ liquidæ dicuntur, eo quod liquescant, dum pronunciantur, hoc est vix exaudiantur: cujusmodi sunt. L. M. N. D. *Quartò* quia nulla fuit eclypsis, nulla Synalæphe.

Idem Virgilius ob oculos positurus æstum evaporantis aheni, & ebullitionem aquæ vix intra labrum ejusdem aheni se continentis, versum ita dilatavit, ut quodammodo videatur se non capere: extenditque illum usque ad decem accentus.

Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras.

In quo versu pronunciando, & multum insumitur temporis, & extollenda est vox, ut æquiparetur aquæ per ebullitionem crescenti.

Pari

5 *Numerus aptandus rebus.*

Pari artificio expresſit Mezentium iratum,& ſævientem. Cum enim lingua iratorum præpediatur, ſecumque rixetur;& prę excandeſcentia conſiſtat, remoretur ſonũ, interrumpat ſermonem, Orationemq; concidat; hinc eſt, ut compoſuerit verſum tardiſſimum, & mirabili artificio cecinerit, iram, qua Mezẽtius proſecutus fuit Orodẽ.

Nunc morere : aſt de me Divum Pater, atque hominum Rex Viderit.

6 Literarum quaſi ſtrepens concurſatio & conflictatio (quod idem dico de ſyllabis concurſantibus,& obſtrepentibus) aliquãdo blanditur auribus. Talis eſt ille verſus.

Convulſum remis, roſtriſq; ruẽtibus æquor

Et alius.

Criſtaque tegit capita aurea rubra.

Et ille nunquam ſatis laudandus, quo expreſſus eſt inceſſus equorum.

Quadrupendantes putrem ſonitu quatit ungula campum.

7 Synalæphe (hoc eſt abſumptio ſequentis vocalis) poſita in primo pede facit numerũ ſolidiorem cum quadã jucunditate, præſertim ſi vocales eædem concurrant. Ut

Ille Ego, qui quondam gracili modulatus avena Carmen.

Et ille

Ergo omnis fletu ſolvit ſe Teucria pubes.

Quod ſi vocales concurrentes ſint diverſæ, fit quidem numerus ſolidior (hoc eſt tardior,& plus temporis petens in ſui pronunciatione) ſed non ita jucundus. Ut

Monſtrum horrendum &c.

Le-

6 *Concurſatio literarum, & ſyllabarum.*
7 *Uſus Synalephes in primo pede.*

molliuſcula eſt, & rebus delicatis apta eſt. Ut

Mollia lacteolos tendebat ad ora lacertos.

M muta mæſtis rebus utilis eſt: ut: *monſtrum horrendum*, & ſic de cæteris.

8 Monoſyllaba reddunt elegantem verſum, quando ab illis Narrationem ordimur: præſertim ſi jungantur ſpondeo. Ut

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum

Et *Vrbs antiqua fuit, Tyrii coluere coloni.*

Etiam in fine verſus monoſyllaba habent gravitatem. E. g.

Præruptus aquæ Mons.

Rariùs tamen uſurpantur monoſyllaba in fine, quàm in principio, & ferè præponitur dactylus. Ut

Procumbit humi bos.

Ruit Oceano nox

Et vix enclytica que ponenda eſt in fine hexametri.

9 Diſyllaba in principio verſus collocata habent ſuavitatem, bina, terna, quaterna, quina. v. g.

Et campos ubi Troja fuit: Feror exul in altum.

Et *Ipſa canas oro: finem dedit ore loquendi.*

10. Fit generoſus numerus Poeticus, quoties primas, medias, & ultimas ſyllabas obtinent triſyllaba. Ut

Romanos Rerũ *Dominos* gẽtẽque *togatã.*

Si tamen etiam aliis locis continuarentur fieret verſus duriuſculus: qualis eſt ille (licèt conſulto factus) Virgilianus.

Occu-

---

8. *Vſus monoſyllaborum. 9. uſus diſyllaborũ.*
10. *Vſus triſyllaborum.*



Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum.

11 Virgilius sibi attentissimus cum magna circumpectione tetrasyllaba collocat, & ferè primo, tertio, & quarto loco.

Primo: intereà medium Æneas jam classe tenebat.

Tertio: Hostis amare, quid *increpitas* mortemque minaris?

Quarto: Aut hoc inclusi ligno *occultātur* Achivi.

Etiam interdum in quinto, in quo maximè implentur aures, si versus sit spōdaicus. Ut

Pallantis proavi de nomine *Pallantæum*.

Et: Constitit, atque oculis Phrygia agmina *circumspexit*.

12 Fit nobilis numerus si post duo trisyllaba collocetur tetrasyllabum [hoc est habens quatuor syllabas] Ut

Currite ducentes sub tegmina, currite fusi

13 Dictiones, quæ constant pluribus quàm syllabis quatuor, Primi Poetæ Latini Græcos imitari collocabant in fine versus, ut Lucretius.

Quæ mare navigerum, quæ Terras frugiferantes.

At recentiores collocant illas potius aliis locis. Ut in primo

Laomedōtiadæ bellum ne inferre paratis?

Et in quarto

Panditur intereà Domus *Omnipotentis* Olympi.

Ele-

11 *Usus tetrasyllaborum apud Virgilium.*
12 *Usus alius tetrasyllaborum.*
13 *usus dictionū excedētiū quatuor syllabas*

VII. Elegans est versus hexameter, in quo præmissis adjectivis, & collocādo verbum in medio, subjunguntur substantiva. Ut

Impia crudeles miscent aconita Novercæ.

A nonnullis dicūtur hi versus Imperiales. Cavendum est tamen ne frequententur plus justo, incideretur enim in affectationem, qua nihil putidius.

VIII. Elegans est versus hexameter, quando fit spondaicus, collocādo in quinta sede spondeum loco dactyli. Ut

Quod fieri ferro, liquidoque potest electro.

Et *Cara Dei soboles, magnum Iovis incrementum.*

Utilis est hic versus ad res graves: sed raro in carmine usurpatur: soletque spondeum præcedere dactylus; licet Virgilius aliter fecerit.

Aut leves ocreat lento ducunt argento

Et *Saxa per, & scopulos, & depressas convalles.*

IX. Confert ad elegantiam versus hexametri repetitio ejusdem dictionis opportunè facta. Ut

Multa *super* Priamo rogitans, *super* Hectore multa.

Et Sequitur pulcherrimus *Astur Astur*, equo fidens.

Docent auctores his repetitionibus delectatos fuisse antiquos. Nobis opus est sobrietate, ne incidamus in affectationem.

X.Ele-

VII. Cap. Elegantiæ versus hexametri.
VIII. Cap. ejusdem elegantiæ.
IX. Caput ejusdem elegantiæ.

cæsuram. Virgilius autem tanto artificio illam variat, ut vix deprehendatur.

II. Elegantissima erit cæsura, si contingat in fine aut commatis, aut membri. Delectatur enim maximè Auditor, si eodem tempore ejus auris quiescat (quod habet à cæsura) & mens, quod contingit, si illa sit aut in commate, aut in membro. Ecce cæsuram in fine commatis.

Vi superUM, sævæ & memorem Junonis ab ira.

In fine autẽ membri ecce pariter cæsuram.

Arma, Virumque caNO, Trojæ qui primus ab oris.

III. Fiet elegans versus Hexameter si variaverit pedes. Hæc variatio pedum nascitur ex mixtione eorumdem: ita ut in contextu Poematis variè permisceantur, & permutentur: neque semper spondeis utamur, neque semper dactylis &c. Hanc variationem diligentissimè exposuit Pater Joannes Baptista Ricciolius è Societate Jesu, & est hujusmodi.

Primò quatuor dactyli continenter ponuntur. E.g.

Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.

Secundò tres dactyli continenter ponuntur, deinde spondeus. E.g.

Tityre tu patulæ recubãs sub tegmine fagi

Tertiò Duo dactyli continenter ponuntur, deinde duo spondei. E.g.

O Me-

II. Cæsura variata in fine commatis; & membri.

III. Variatio pedum.

O Meliboee Deus nobis hæc otia fecit.

Quartò. Ponuntur duo Dactyli, deinde spondeus, & Dactylus. E.g.

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.

Quintò. Ponitur Dactylus, spondeus, & duo dactyli. E.g.

Sępè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus

Sextò. Ponitur Dactylus, deinde tres spondei. E.g.

Et penitus toto divisos Orbe Britannos.

Septimò. Alternantur Dactyli, & spondei. E.g.

Ludere quę vellem, calamo permisit agresti

Octavò. Ponitur dactylus: deinde duo spondei, & dactylus. E.g.

Nos patrię fines, & dulcia linquimus arva

Nono. Ponuntur continenter quatuor spondei. E.g.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Decimò. Ponuntur tres spondei, & dactylus. E.g.

Urbē, quā dicunt Romā, Meliboee putavi.

Undecimo. Ponuntur duo spondei, dactylus, & spondeus. E.g.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Duodecimo. Ponuntur duo spondei, & duo Dactyli. E.g.

Mirabar, quod mœsta Deos Amarylli vocares.

Decimotertio. Ponitur spondeus, & dactylus, & duo spondei. E.g.

Quantū lenta solent inter viburna cupressi.

Decimoquarto. Ponitur spondeus, deinde tres dactyli. E.g.

Formosam resonare doces Amaryllida (sylvas

Decimo quinto. Alternantur spondei, & Dactyli. E. g.

Sylvestrem tenui Musā meditaris avena.

Decimosextò. Ponitur spōdeus: deinde duo dactyli, & ultimo spondeus. E. g.

Fortunate senex, tua quandò Regna manebunt.

Boni, & artificiosi Poetæ sciunt opportunè, uti potius hac, quàm alia combinatione pedum, prò diversitate rerum, quas exponunt. Quare si voluerint exprimere celeritatem, utentur Dactylis frequentatis. Dactylos frequentavit Virgilius, ubi explicavit velocitatem avis dicens.

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Frequentavit spondeos, ubi tardè laborantes Cyclopes in antro Vulcani descripsit; & cecinit

Ferrum exercebāt, vasto Cyclopes in ātro.

Hanc virtutem ostendisse Tyroni utile est: quamquā ab illo non sit exacturus eā Præceptor discretus. Posset quidē exercere illum in variandis allatis combinationibus, ut per hoc exercitium mēti illas imprimat.

IV. Fit elegans versus hexameter ex varietate vocum; ita ut ponantur, modò lenes, modò asperæ: modò sonoræ, modò obtusæ: modò duarum, modò plurium syllabarum. Hoc autem observatur, tum ad tollendam satietatem, quæ nascitur ex similitudine, tum ad comparandam harmoniam, quæ oritur ex diversis ad unam consonantiam compositis.

Hac

IV. Varietes vocum.

Hac occasione animadverto, monosyllabas voces habere ex sua natura, ut sistant, & sustentent versum; hoc est efficiant, ut tardè incedat, sivè tarde pronũcietur. Propterea si videatur nobis versus nimis præcipitare, sisti potest collocatis monosyllabis: quod itẽ fiet, si aliquãdo accõmodandi gratia versum sententiæ, vellemus tardè versum procedere. Voces dissyllabæ, binatim, ternatim, quaternatim dispositæ faciunt versum sonorum.

V. Fit elegans versus hexameter à varietate concludendi sententias. Ità ut interdum concludatur hemistichio, interdum uno versu, interdum duobus, &c. Hemistichio concludit Virgilius, ubi cecinit.

Tollite cuncta, inquit, captosquè auferte labores
Ætnei Cyclopes, & huc advertite mentẽ
Arma acri facienda VIRO.

Vno versu concludit sententiam, in sexto canens.

Sic fatur lacrymans, classiquè immittit habenas.

Duobus versibus concluditur ab eodem canente.

Sic memorat, geminasquè legit de classe bidentes,
Remigioq; aptat socios, simul ĩstruit armis

Hæc varietas concludendi sentẽtiam mirè venustat versũ; simulquè admonet Tyronem Poeseos, ut diligenter caveat, ne producat merè versum ad producendam sẽtẽtiam; sive hanc ad producendum versum; sed

V. Varietas concludendi sententiam.

sed finem faciat utrique, quando id à sententia petitur. Sic enim vitabuntur superfluitates, quibus interdum mali Poetæ abundant ad explendum versum. Virgilius maluit relinquere hemistichia imperfecta, quam implere versus vanitate.

VI. Nascitur elegantia versus heroici à numero. Respicit autem numerus (sive harmonia) varias res, sed præsertim accentus, qui tres sunt. Acutus, qui attollit; gravis, qui deprimit syllabam. Circumflexus, qui partim attollebat, & partim deprimebat: nunc autem vix scimus, quid sit in vocibus latinis. Unaquæque vox habet accentum suum: sed tamen apud latinos antonomasticè nomine accentus venit ille, in quo syllaba attollitur, hoc est acutus. Hinc sequitur, ad multiplicationem vocum multiplicari accentus; ex quorum multiplicatione [si cętera adsint] dummodo omnes voces non sint monosyllabæ, fit jucundissimus versus. Talis est Virgilianus omninò elegantissimus[1].

Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.

In quo cum sint octo voces, sunt etiam octo accentus, hoc est vocis elevationes, quas Græci Arses vocant. Imò Jovianus Pontanus in Actio animadvertit, malvisse Virgilium dicere.

Multa quoQUE & bello passus, dum conderes Urbem.

Quàm *Multa ETiam*

quia in primo versu propter elisionem abun-

1. *Accentus in numero.*

bundavit conjunctio ET, qua carvisset secundus.

Si autem multitudo accentuum desit, multiplicari potest syllabarum numerus: ut fecit Virgilius, ubi cecinit.

Panditur interea Domus Omnipotentis Olympi. Idem numerus respicit Sinaloephem, & Etclypsim, quæ si rectè usurpentur, maximam versui comparant elegantiam, & multiplicando accentus dignitatem habent, præsertim in rebus gravibus, quibus deserviunt propter tarditatem, quam invehunt in versum. E. g.

Rupibus excidunt scenis DecoRa Alta futuris.

In quo versu concursus ejusdem vocalis A nobilitat versum. Hic porrò vocalium concursus, qui per Synalæphem habetur, vocatur complosio, sive resultus; complodunturenim vocales; & inde tinnitus resultat, qualis resultaret ex complosione metallorum canororũ. Talis elegantia est etiam in illo versu habente tres complosiones.

Et vera incessu patuit Dea. Ille ubi MatrE.

Et in alio celeberrimo.

Ter sunt conatI Imponere Pellio Ossam.

In quibus omnibus versibus elegantia nascitur ex complosione, sive resultu, quia sonus multiplicatur, salvo metro versus. Verum quidem est hanc complosionem jucundiorem esse, quando contingit in vocibus græcis, ut

Glau-

a. *Synalæphæ, & Eclypses.*

Si voces monosyllabæ simul jungantur tunc curandum est, ut pedes sint dactli, frequentati. E.g.

Hic vir, hic, tibi quem promitti sæpius audis.

Licet aliquando hi pedes ex monosyllabis solvantur, ad explicandam tarditatem rei. Qualis est ille.

Illi inter se se de rebus agebant.

Post secundum versus pedem eleganter fit solutio, cum sequuntur duo, vel plura disyllaba, & pedes sint dactyli. E.g.

Aut aliquis latet error: equo ne credite Teucri.

Post tertium etiam pedem fit hæc solutio benè, si in tertio loco fuerit dactylus, & pedes post illum sequentes etiam dactyli: E.g.

Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent.

Vel etiam si idem pes tertius sit spondeus; qui sistat in monosyl abo; ut ille

Una dolo diuum si fæmina victa duorum est.

De cæteris pedibus nihil admonendum occurrit, cum omnia per se pateant. Hæc verò in exemplum attuli, ut appareat, & conquirendam esse numerorum varietatem, & pluribus posse modis conquiri.

Dixi *pluribus modis*: quia in hoc occupari debet diligentia Poetæ ad comparandam varietatem. Si enim semper uteretur numero ex spondeis nascente, carmen fieret subtriste, & tardum. Si semper eo, qui nascitur ex dactylis, fieret carmen fluidũ nimis. Quarè ut tẽperatè fluat, sũt permiscẽdi. Ne au-

autem artificium pateat, non eodem semper modo sunt permiscendi.

4 Numerus considerat voces, & literas sonantes. Voces sonantes illæ dicuntur, in quibus habentur vocales sonantes, quę duę sunt A, & O, & etiam E. Igitur si conquirantur vocabula, in quibus hæ vocales sint, elegans erit numerus, hoc est erit in illo harmonia, & modulatio, quæ oritur ex pedibus versus. Talis est ille Virgilianus.

Arma virumque CANO, TROJÆ qui primus ab Oris.

Imò Pontanus adnotat Virgilium solertissimum auriũ sublanditorẽ maluisse dicere.

Tot adire labores.

Quàm *Obire*: quia conjunctio particularum Tot, & ob aliquanto confragosior fuisset. Dixit tamen alio loco idẽ Virgilius.

Et lituo pugnas insignis obibat, & acta.

quia syllaba Is in voce *insignis* mitigabat asperitatẽ, quæ erat in sequenti voce *Obibat*.

Et quoniam nominavimus vocales sonãtes, placet hic proprietates omnium vocalium afferre spectantes ad earumdem sonũ.

Sunt igitur ex vocalibus aliæ clari soni: aliæ subobscuri. Clari soni sunt, A, O, I. Subobscuri E & U. Sonoræ A O: minus sonoræ E I U. Et omnes hæ vocales pro diversitate consonantium quibus junguntur, diversam consonantiam efficiunt, ut patere potest consideranti. Hanc diversitatem incredibile est quàm diligenter observent illi Poetæ, qui sunt maximè artificiosi. In quo utique conveniunt cum Musicis qui certè in suis mo-

---

4. *Voces, & literæ sonantes.*

modulationibus adjuvantur à vocalibus, & à vocibus, in quibus illæ dominantur.

5. Numeris illis debemus uti, quales petit res explicanda. Virgilius ut explicaret velocitatem Camillæ, implevit versus pedibus habentibus syllabas veloces (hoc est in quarum pronunciatione minimum temporis insumitur) tales enim sunt, qui sequuntur.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Ubi manifestum est, veloces esse syllabas: *Primò* quia breves. *Secundò* quia constantes vocalibus exilibus. *Tertiò* quia literis, quæ liquidæ dicuntur, eo quod liquescant, dum pronunciantur, hoc est vix exaudiantur: cujusmodi sunt. L. M. N. D. *Quartò* quia nulla fuit eclypsis, nulla Synalæphe.

Idem Virgilius ob oculos positurus æstum evaporantis aheni, & ebullitionem aquæ vix intra labrum ejusdem aheni se continentis, versum ita dilatavit, ut quodammodo videatur se non capere: extenditque illum usque ad decem accentus.

Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras.

In quo versu pronunciando, & multum insumitur temporis, & extollenda est vox, ut æquiparetur aquæ per ebullitionem crescenti.

Pari

5 *Numerus aptandus rebus.*

Pari artificio expreſsit Mezentium iratum,& ſævientem. Cum enim lingua iratorum præpediatur,ſecumque rixetur;& pręexcandeſcentia conſiſtat, remoretur ſonū, interrumpat ſermonem,Orationemq;concidat; hinc eſt,ut compoſuerit verſum tardiſſimum, & mirabili artificio cecinerit, iram,qua Mezētius proſecutus fuit Orodē.

Nunc morere : aſt de me Divum Pater, atque hominum Rex Viderit.

6 Literarum quaſi ſtrepens concurſatio & conflictatio (quod idem dico de ſyllabis concurſantibus,& obſtrepentibus) aliquādo blanditur auribus. Talis eſt ille verſus.

Convulſum remis,roſtriſq; ruētibus æquor

Et alius.

Criſtaque tegit capita aurea rubra.

Et ille nunquam ſatis laudandus, quo expreſſus eſt inceſſus equorum.

Quadrupendantes putrem ſonitu quatit ungula campum.

7 Synalæphe(hoc eſt abſumptio ſequentis vocalis) poſita in primo pede facit numerū ſolidiorem cum quadā jucunditate, præſertim ſi vocales eædem concurrant. Ut

Ille Ego, qui quondam gracili modulatus avena Carmen.

Et ille

Ergo omnis fletu ſolvit ſe Teucria pubes.

Quod ſi vocales concurrentes ſint diverſæ, fit quidem numerus ſolidior (hoc eſt tardior,& plus temporis petens in ſui pronunciatione) ſed non ita jucundus. Ut

Monſtrum horrendum &c.

Le-

6 *Concurſatio literarum, & ſyllabarum.*
7 *Uſus Synalephes in primo pede.*

molliuſcula eſt, & rebus delicatis apta eſt. Ut

Mollia lacteolos tendebat ad ora lacertos.

M muta mæſtis rebus utilis eſt: ut: *monſtrum horrendum*, & ſic de cæteris.

8 Monoſyllaba reddunt elegantem verſum, quando ab illis Narrationem ordimur: præſertim ſi jungantur ſpondeo. Ut

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum

Et *Urbs antiqua fuit, Tyrii coluere coloni.*

Etiam in fine verſus monoſyllaba habent gravitatem. E. g.

Præruptus aquæ Mons.

Rariùs tamen uſurpantur monoſyllaba in fine, quàm in principio, & ferè præponitur dactylus. Ut

Procumbit humi bos.

Ruit Oceano nox

Et vix enclytica que ponenda eſt in fine hexametri.

9 Diſyllaba in principio verſus collocata habent ſuavitatem, bina, terna, quaterna, quina. v. g.

Et campos ubi Troja fuit: Feror exul in altum.

Et *Ipſa canas oro: finem dedit ore loquendi.*

10. Fit generoſus numerus Poeticus, quoties primas, medias, & ultimas ſyllabas obtinent triſyllaba. Ut

Romanos Rerū *Dominos* gētēque *togatā.*

Si tamen etiam aliis locis continuarentur fieret verſus duriuſculus: qualis eſt ille (licèt conſulto factus) Virgilianus.

Occu-

---

8. *Uſus monoſyllaborum.* 9. *uſus diſyllaborū.*
10. *Uſus triſyllaborum.*



Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum.

11 Virgilius sibi attentissimus cum magna circumpectione tetrasyllaba collocat, & ferè primo, tertio, & quarto loco.

Primo: intereà medium Æneas jam classe tenebat.

Tertio: Hostis amare, quid *increpitas* mortemque minaris?

Quarto: Aut hoc inclusi ligno *occultātur* Achivi.

Etiam interdum in quinto, in quo maximè implentur aures, si versus sit spōdaicus. Ut

Pallantis proa^vi de nomine *Pallantæum*.

Et: Constitit, atque oculis Phrygia agmina *circumspexit*.

12 Fit nobilis numerus si post duo trisyllaba collocetur tetrasyllabum [hoc est habens quatuor syllabas] Ut

Currite ducentes sub tegmina, currite fusi

13 Dictiones, quæ constant pluribus quàm syllabis quatuor, Primi Poetæ Latini Græcos imitari collocabant in fine versus, ut Lucretius.

Quæ mare navigerum, quæ Terras frugiferantes.

At recentiores collocant illas potius aliis locis. Ut in primo

Laomedōtiadæ bellum ne inferre paratis?

Et in quarto

Panditur intereà Domus *Omnipotentis* Olympi.

Ele-

---

11 *Usus tetrasyllaborum apud Virgilium.*
12 *Usus alius tetrasyllaborum.*
13 *usus dictionū excedētiū quatuor syllabas*

VII. Elegans est versus hexameter, in quo præmissis adjectivis, & collocãdo verbum in medio, subjunguntur substantiva. Ut

Impia crudeles miscent aconita Novercæ.

A nonnullis dicũtur hi versus Imperiales. Cavendum est tamen ne frequententur plus justo, incideretur enim in affectationem, qua nihil putidius.

VIII. Elegans est versus hexameter, quando fit spondaicus, collocãdo in quinta sede spondeum loco dactyli. Ut

Quod fieri ferro, liquidoque potest electro.

Et *Cara Dei soboles, magnum Iovis incrementum.*

Utilis est hic versus ad res graves: sed raro in carmine usurpatur: soletque spondeum præcedere dactylus; licet Virgilius aliter fecerit.

Aut leves ocreat lento ducunt argento

Et *Saxa per, & scopulos, & depressas convalles.*

IX. Confert ad elegantiam versus hexametri repetitio ejusdem dictionis opportunè facta. Ut

Multa *super* Priamo rogitans, *super* Hectore multa.

Et Sequitur pulcherrimus *Astur Astur*, equo fidens.

Docent auctores his repetitionibus delectatos fuisse antiquos. Nobis opus est sobrietate, ne incidamus in affectationem.

X. Ele-

VII. Cap. Elegantiæ versus hexametri.
VIII. Cap. ejusdem elegantiæ.
IX. Caput ejusdem elegantiæ.

X. Elegans est plurium versuum hexametrorum inter se complicatio, quam catenam vocant: qualis est illa Virgiliana.

Postquā Res Asiæ, Priamiq; vertere gētē.
Immeritā visum superis, ceciditq; superbū
Illiū, & omnis humo fumat Neptunia, Troja
Diversa exilia, & desteras quærere terras
Auguriis agimur Divum, &c.

Quod idem ac dicere, elegantem esse periodum ex multis versibus in poemate heroico. Hic etiam cavendam est nimietas.

XI. Reddit elegantem versum hexametrum enclytica que, quia multiplicat accentus, & propterea videbitis illam esse familiarem Poetis bonis. Virgilius statim in primo versu illam ostendit dicens:

Arma virumque cano.

XII. Faciunt ad elegantiam hujus versus antitheta, ex quorum usu fiunt versus, qui dicuntur æquiditici. Quod contingit, quando unicuique propositionis antitheto suum opponitur antithetum: sic

ALBA *ligustra cadunt*, *vaccinia* NIGRA *leguntur*.

ADMONITIO PRIMA.

Atque hæc sunt, quæ duxi magis propria, esse adolescentis, qui primò applicat animum versui hexametro, ut illum elegantem faciat. Hic nonnulla alia subnectam utilia elegantiæ ejusdem versus.

Jovianus Pontanus solertissimus contemplator versuum Virgilianorum observat à Virgilio reddi elegantes suos ve-

sus

IX. *Caput ejusdem elegantiæ.* X. *Caput elegātiæ ex catena versuū.* XI. *Elegantiæ caput ex usu encliticæ, que.* XII. *usus ātithetorū.*

ſus uſu alliterationis. Fit alliteratio cum in eodem verſu repetitur eadem litera, præſertim in primis, & in ultimis ſyllabis. In primis ſyllabis hæc eſt alliteratio.

Sæva ſedens ſuper arma

In ultimis hæc eſt alliteratio

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Ad hujuſmodi alliterationem ſpectant illi verſus ex Virgilio.

Veterem Anchiſen agnoſcit amicum.
Ruit Oceano nox
Chaonios cognomine campos.
Diſcurrere pares diſcrimine nullo
Fama malum quo non velocius unquam
Vaſtum Maris æquor arandum &c.

Hæc in exemplum adducta excitare poſſunt animum lectoris ad exploranda plura alia loca alliterationis à Virgilio uſurpatę, modò in principio, modò in medio, modò in fine dictionum. Interdum in ſyllaba, aliàs in littera ſola, &c.

Dixi ſupra de comploſione vocalium ex qua fit harmonicus verſus hexameter. Ne meus lector erret, admonendus eſt, Comploſionem fieri quando utraque vocalis auditur. Ut

Si pereO HOminum manibus periiſſe juvabit

Si enim non audiretur utraque vocalis, fieret expolſio, quæ non reddit harmoniacum verſum. Ratio eſt, quia vocales exploſæ (adeòque non auditæ) non concrepant ad invicem per contactum & alliſionem, ut contingit in comploſione; præſertim ſi vocales ſint eædem. Ut

Ipsi Ductores Cœlo capit A Alta ferentes.

Neque debet aliquis commoveri, quia sic oratio fiet hiulca: nam hæc ipsa hiulcitas, quam Oratores fugiunt, à Poetis amatur, eo quod reddat eorum versus sonantiores, ampliores, consistentiores. Ex ipsa enim illa asperitate, quæ facit Poetam immorantem in pronunciatione vocis resultat Majestas.

Hęc hiulcitas etiam elegantiam refundit in versum, quando nascitur ex vocali, in quam desinat ultima vox versus antecedentis, à qua incipit prima subsequentis sic

Vicina Vesavo

Ora jugo

ADMONITIO SECUNDA.

(a) Nihil est quod magis commendetur juveni, quàm ut sustentet versum; illumq; fulciat, velutiquè contineat, ne serpat, ne cadat, ne hnmilis sit. Sed cum hæc vocabula sint metaphorica vix intelligit miser ille quid jubeatur facere. Ego rem hanc breviter (quantum potero) explicabo.

Versus igitur humilis est, quando discedit ab artificioso modo dicendi, & declinat in modum dicendi inartificiosum. Unde fit ut quodammodo humi jaceat: sicuti quando in his non peccat, dicitur esse sublimis, hoc est super limum.

Discedit autem ab artificioso modo dicēdi ex innumerabilibus (ut ità dicam) capitibus, quæ quis recenseat? Discedit. E.g. vel

(a) *Artificium sustentandi versum hexametrum quoad numeros.*

vel quia ſententia nihil habet admirabilis, vel quia phraſis non eſt poetica, vel quia nulla eſt figura, nullus affectus, nulla tranſpoſitio, nulla imitatio poetica: vel quià malè collocantur verba, vel quia pedes ſunt inelegantes &c. Accedit ad inartificioſum, quià peccat in iis, quæ adnotavi ubi de ejus inelegantia. Suſtentabitur, ſi illum redigemus ad artificioſum, non toleratis quæ ſunt inartificioſa; ex quibus redditur humilis.

Exemplo rem conabor elucidare. Animadverto verſum carere verbo ſonoro (quando illud requiritur) cujus carentia repit verſus: quid faciam? Subrogabo ſonoriùs. Quod ſuprà adnotavi factum fuiſſe à Virgilio, qui cum potuiſſet dicere: multa *etiam*, & bello paſſus; maluit dicere multa *Quoque*, & bello paſſus: hac ſola de cauſa, quia cognovit ſonantiorem fore vocem *Quoque*.

Animadverto pedem elegantiorem eſſe alio, licèt conſtante iiſdem ſyllabis: quid faciam? Dimittam inelegantiorem alio, licèt conſtante iiſdem ſyllabis, & accipiam elegantiorem. Certè hic dactylus *horrida* eſt elegantior hoc alio *diſtrahit*. Spondei hujus verſus.

Tectum auguſtum ingens, centum ſublime columnis

Sunt auguſtiores iis, qui in hoc verſu continentur.

Miranti dixit quid poſcit dive viator.

Animadverto vocem aliquam in communi acceptione non cenſeri ſublimem, vel ſolitariè poſitam, vel alii ſociatam;

vel quia collocetur hoc loco potiùs quàm alio. Quid faciam? Hic etiam ad sustentandum meum versum illam abiiciam, & meliorem (meo judicio) substituam. E.g. in hoc versu.

Sanctus Anicetus fuerat qui Præsul in urbe. Animadverto, adjectivum *Sanctus* junctum substantivo *Anicetus* esse humilem ex his capitibus. *Primò* quia in sermone vulgari usurpatur ab omnibus inerudítis: cum vix alio modo à vetula quacunq; appelletur ille heros. *Secundò* quia constat literis exilibus, exilemque sonum reddentibus. *Tertiò* quia jungitur voci *Anicetus*, quæ pariter est soni exilis. *Quartò* quia inde resultat pes nullius cęsuræ. Igitur propter hæc (quæ hic inveni) mutabo, & dicam: E.g. *Magnus*, pro Sanctus vel mutabo locum illi epitheto, & illi substantivo, E.g. *Urbis Anicetus Romanæ Præsul*. His, & hujusmodi artificiolis conabor extrahere ab humilitate versum meum. Quæ sicut in exemplum attuli, ut manuducatur adolescens, ita nollem accipi tanquam res perfectas, sed solum indicatas.

Virgilius in catalogis, quos cogitur replere vocabulis propriis virorum, & locorum, illa extrahit à consueta, & non admirabili, humiliq; ratione dicendi, non omittendo eadem vocabula (sic enim derogaretur claritati) sed per additionem epithetorum: per elisiones: per frequentationem enclyticæ *Que*: per repetitiones: per aliquod notabile adjunctum, aut aliud hujusmodi reddit sublime (hoc est discedens à consueto) vocabulum cæteroqui gregarium. Non

secus

secus ac bonus Pictor, qui res nudas non exponit in tela, sed coloribus (qui licèt apparentiam invehant, non substantiam immutent, nihilominus faciunt ad elegantiam rei coloratæ) ornatas. Pariter idem Virgilius (quod etiam facit Torquatus, cæterique Poetæ boni) vocabula ceteroqui humilia coronat hinc inde sublimioribus: ita ut quæ solitaria nihil poetici habebant, jam spiritum Poeticum habeant vel propter figuram, vel propter affectum; ex quibus datur occasio alicujus formulæ, cujus ope non solum vocabulum sustentabitur, sed etiam numerus. Eo pacto, quo choragus in scenam admittens plebejum aliquem, vestit illum indumentis, non quidem veris, sed theatralibus, hoc est ad delectationem oculorum factis, vi quorum videtur ille modò Dux, modò Rex, modò Sacerdos, &c. Quibus omnibus (& multò pluribus) quia caret ille versus.

Sanctus Anicetus fuerat qui Præsul
in urbe

hinc est illum esse humilem, tum quoad phrasim, tùm quoad numerum. Sublimem illum faciemus sic.

O qui Romulea vivebas Præsul in urbe
Grande Sacerdotum ornamentum
Anicete &c.

Sed de his minutiis (non tamen contemnendis) dictum sit satis: maneatque sustentari versum hexametrum quoad numeros, si ita conficiatur, ut ex natura sua tardè pronuncietur (sine affectatione) vel id deinde contingat, aut per intervalla

commatum, membrulorumque: aut per elisiones, aut per monosyllaba, aut per pedes sonantes, parum refert. In omnibus tamen ratio habenda est decori: quod servare judicii est potius quàm præcepti.

ADMONITIO TERTIA.

Versu hexametro (ut supra innui) utuntur varii Poetæ: videlicet, Epici, qui scribunt res heroicas, ut Virgilius, Statius, Valerius Flaccus; Silius Italicus &c. Satyrici, ut Horatius, Persius, Juvenalis, qui versantur in carpendis vitiis. Bucolici, qui res Pastoritias tractant: quas tractavit Virgilius in Eclogis, Sanazarius: Vida, & complures alii. Dogmatici, ut Lucretius, qui res naturales, versu prosecutus est, & Virgilius Agriculturam, & Horatius Poeticen: sicut etiam Vida, & Arias Montanus Rhetoricen, & alii alia. Versus horum, licèt hexameter, non curat tamen multa, quæ adnotavi hactenus, eo quod semper non adspirent ad majestatem; sed toti sint in exponendis rebus; quæ sæpè sunt, ut ajebat Horatius ex illis; quæ contentæ doceri, non curant ornari; Proinde adolescens mirari nequaquam debet, si apud illos reperiat aliam viam calcatam ab illis in versu contrariam illi, quam hactenus docui. Aliud agebant. Dixi non adspirare semper ad majestatem: ut innuerem interdum ab illis hanc intendi, & propterea etiam interdum servant ea, quæ ostendi servanda, ut elegans fiat versus hexameter. Hic tamen nolui descendere

ad

ad ſingulos quos commemoravi Poetas; quia pluſquam rudimenta ſcriberem, quod in præſentiarum nolo. Subnecto quædam alia ſpectantia ad verſum Pentametrum.

DE VERSUS PENTAMETRI ARTIFICIO.

HIc de ſolo artificio verſus Pentametri, non autem de ipſa Elegia dicam.

Verſus Pentameter dicitur conſtare quinque pedibus, partim ſpondeis, & partim dactylis. Primis locis admittit indiſcriminatim ſpondeum, & dactylum: Secundis dactylum ſolum. Hi tamen pedes ſic diſtribuendi ſunt, ut poſt duos primos habeatur cæſura (eaque ut plurimum ſéparata à duobus ſequentibus pedibus, ita ut non contingat, aut echtlypſis aut ſynalæphe abſorbens primam eorum ſyllabam) & item poſt ultimos. E.g.

Nil mihi reſcribAS attamen ipſe veNI

Porrò ex quatuor integris pedibus, & ex duabus cæſuris, quæ ſunt ſemipedes fient quinque pedes, ſive quinque menſuræ, ſive quinque metra, ex quibus vocabulo græco dicitur verſus PENTAMETER. Ut plurimum ſolitariè non uſurpatur, ſed ſubnectitur Hexametro. E.g.

Hac tua Penelope lento tibi mittit Ulyſſes
Nil mihi reſcribas attamen ipſe veni.

Aliquando tamen ſolitariè uſurpatus fuit: ut habetur apud Auſonium, qui Thaletis Mileſii gnomas, ſivè ſententias univerſales ſolis pentametris complexus eſt. Illi ſunt, qui ſequuntur.

Turpe quid ausurus te sine teste time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris dicere distuleris.
Crux est si metuas vincere quod nequeas,
Cum verè objurgas, sic inimice juvas,
Cum falsò laudas, sic & amice noces.
Nil nimium: satis hoc, ni sit & hoc nimium.

I. Cæsura Pentemimeris (*sive semiquinaria sic dicta* eo quod *sit dimidia pars quinque pedum, si enim una cum pede ad quem spectat, qui est secundus, replicaretur, faceret quinque pedes, ut patet*) in Pentametro debet esse separata à sequenti pede: alioqui esset durus versus: qualis est ille Catullianus

Troja virum, & virTVtum omnium acerba cinis.

Et alius qui Diomedi tribuitur.

Hæc quoq; nostræ SENtentia mentis erat.

II. Neutrum Hemistichium desinit eleganter in monosyllabam. E.g.

O Dii reddite mi hoc pro pietate mea.

Si tamen altera monosyllaba præcedat, tunc tollitur inelegantia. E.g.

Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Et alius: Præmia si studio consequar ista sat est.

Si etiam in dimensione (scansione) coalescit in dictione præcedenti tollетur inelegantia. E.g.

Et solum constans in levitate sua est.

III. Aliqui censent esse inelegantem hunc versum si desinat in vocem trisyllabam. E.g.

Hæsura in nostro tela gerit latere.

Et in tetrasyllabam, hoc est quatuor syllabarum. E.g.

Libe-

Libera jam duris casibus Andromache.

Et in pentasyllabam, hoc est quinque syllabarum. E.g.

Est mihi cara satis forma Pudicitiæ.

Et in hexasyllabam hoc est sex syllabarum. E.g.

Protinus ingentes sunt inimicitiæ.

Sed Jovianus Pontanus ait se non videre cur hę voces sint excludendę, cum illæ usurpentur à Catullo, Tibullo, & Propertio limatissimis Poetis; dummodo affectatio vitetur.

IV. Curandum est, ut Pentemimeris sit longa, neque utamur licentia in ca syllaba, in quam cadit; sine aliqua necessitate, aut utilitate sententiæ.

V. Uno disticho, ut plurimum sententia perfici debet. E.g.

Gentibus est aliis tellus data limite certo
Romanæ spatium est Urbis,
& Orbis idem,

Aliquando tamen Sententia suspenditur, ut vel disticho sequenti, vel tertio absolvatur. Cavendum tamen est, ne post duos versus sententia sic pendeat, ut Verbum reservetur usque in tertium versum.

I. Dat elegantiam versui elegiaco alliteratio, de qua supra. E.g

Multa docet templis picT AT Abella tuis

II. Elegantius desinit Pentameter in substantiuum, quàm in adjectiuum, in pronomen, in participium. Vossius addit nunquam desinere in præpositionem, & in interjectionem.

III. Eleganter desinit in vocem disyllabam. E.g.

Vix Priamus tanti; totaque Troja fuit.

IV. Duo substantiva, & adjectiva cum Verbo in medio reddunt elegantissimum Pentametrum. E.g.

Littera trinacris prospicit alta vadis

Sed cavenda est affectatio ex frequentatione immoderata.

V. In principio Pentametri eleganter ponuntur duo spondei. E.g.

Non exornato stant adamante fores.

VI. Participium passivum in fine Pentametri ante vocem disyllabam est elegans. E. g.

Incideat celeri conspiciendus equo.


FINIS.

RUDIMENTA POETICA

OSTENDENTIA

Candidato Latinæ Poeſeos Adoleſcenti

DISCRIMEN ORATIONIS POETICÆ A NON POETICA.



INGENIOSIS ADOLESCENTIBUS

Poetarum Studio Vacantibus

TYPOGRAPHUS

Salutem, & Venam Poeticam.

PArvus hic liber, qui meas ad manus pervenit calamo alieno exaratus, ad vestras venit meis Typis impressus. Nescivi, quibus potiori exhiberetur jure, quam vobis, & à quibus animo libentiore exciperetur. Præsertim, cum mihi persuaserim, ex paginis, quas exhibeo, vestra posse adjuvari studia in Poeticis occupata. Quamquàm, vel his, quæ commemoravi, cessantibus, me traxissent ad vos illæ Virtutes, quibus in grande juvenum vestri similium, fulgetis exemplum. Si auderem ad vos transferre Satyrici dictum, qui tempestatem insignem describens (ut multa paucis clauderet) poeticam surrexisse; an tempestatem, (hoc est tantam, quantam solis Poetis, qui rerum imagines fingunt, liceret effingere) ego virtutem vestram, pro ætate, quam agitis, ad illum verticem ascendisse dicerem, quem Poeta, qui amaret Iconem adolescen-

lescentum, & morigeratorum, & studiosorum exprimere, suæ menti repræsentaret. Poeticas igitur has elucubrationes, quæ spectant ad erudiendum Poeseos Candidatum vobis debueram, Præstantissimi Adolescentes, exibere: ut ex iis discentes Poesim, Vos, qui argumentum Poetarum jam nunc meremini esse, adultis annis, & studiis aliorum fiatis Poetæ virtutum. Valete.





DE DISCRIMINE

Orationis metro solutæ, & metro ligatæ.

DIversitatem solutæ Orationis, & ligatæ nemo est qui non fateatur & nemo est, qui non doceat; Aliud esse loqui poeticè; Aliud non poeticè. Sed qui tàm clarè hanc diversitatem indicet, ut à Candidato Poetices percipiatur, adhuc non vidi. Fortasse quia (ut docet Pater Alexander Donatus in sua Poetica) non est adeò facilè invenire proprium utriusque discrimen.

2 Nam qui docent Orationem poeticam abundare metaphoris, verum fortasse docent: sed numquid etiam non poetica non frequentat Metaphoras? Quis determinavit earum numerum, intrà quem soluta se contineat, ne sit poetica? Qui dicunt sublimem esse Orationem poeticam, negare non possunt, sæpè non poeticam esse sublimiorem. Qui tradunt esse audaciorem soluta, difficile explicabunt quid sit hæc audacia, quæ sæpè non emineat (& quidem

dem cum virtute) etiam in non poetica. Certè Perorationes, cum vehementiores sunt, non carent audacia frequenter ad poeticam accedente.

3 Unum supererat, quod prima fonte videbatur satisfacere. Versus videlicet, quo certè Oratio soluta non utitur. Sed apud antiquos fuere Poetæ (& inter Poetas admissi qui versum non adhibuerunt.) Deinde Horatius lib. 2. Satyra prima affirmat aliquem uti versu, neque tamen mereri nomen Poetæ. Seque ipsum in exemplum affert, scriptorem adeò proximum Orationi solutæ, & pedestri, ut sit excludendus à Poetis. En ejus verba.

Non satis est puris versum conscribere verbis.
Quem si dissolvas quivis stomachetur eadem
Quo personatus pacto Pater. Hic ego, quæ nunc
Olim quæ scripsit Lucilius eripias si
Tempora certa, modosque, & quod prius ordine verbum est
Posterius facias præponens ultima primis.

Deinde profert exemplum versus, in quo verè apparet sermo poeticus subdit enim

Non ut si solvas: Postquā discordia tetra.
Belli ferratos postes, portasquè refregit,
Invenies etiam disiecti membra Poetæ

4 Mihi post accuratam observationem occurrunt, quæ subiiciam; collegique, ut Candidatum Poeseos (quantum potero) illuminem, & hoc discrimen sic explicem, ut in sua poemata possit illud invehere. Si minus perfectè illud ostendam, non idcircò mul-

multa non dicam, quæ illum adjuvare possint, ut procedentibus annis, & studiis, plura, & meliora reperiat.

I.

Indubitatum est Orationis poeticæ proprium esse, ut discedat à quotidiano sermone; licet occultandæ artis gratia id subdolè faciat: quatenus, ut plurimum verba communia Oratoribus usurpat; quæ deinde proprio artificio poetica reddit. Certè etiam Cicero utitur vocibus, quas habet Virgilius: Ciceronianæ enim sunt voces *Arma, Virumque cano &c.* & tamen apud Virgilium poeticè usurpantur, non apud Ciceronem. Ratio est, quia Virgilius secutus præceptum Horatii docentis.

Dixeris egregiè, notum si callida Verbum
Reddiderit junctura novum

artificiosissimè formavit sibi ex illis (juxta leges poeticas copulatis) phrasim poeticam *Arma* enim apud Ciceronem significāt instrumenta belli, gladium, pugionem, hastam: apud Virgilium significant Bella, & prælia. *Cano* aqud Ciceronem significat vocem modulari, quod Musicorum est proprium: apud Virgilium significat sublimissimo, poeticoque, & heroico sermone, imitandoque, narrare, &c. Quæ sic enucleata ostendunt, orationis poeticæ esse proprium discedere à consueto modo loquendi. Certè Cicero lib. 1. de Oratore sic habet; *In dicendo vitium est vel maximum à vulgari genere Orationis, atq; à consuetudine communis sensus abhorrere.* In quibus verbis adnotāda est vox *Dicendo*, quæ propria est Oratorum non Poetarū: cū enim illi dicant, hi capiunt

Prop-

Propterea, ſicut muſicos maximè decet variare, & inflectere vocem, & illa uti alio modo quàm contingat in conſuetudine vulgari, ita Poetam decet (imò oportet) Orationem diverſam à communiter uſurpata componere. Qua de cauſa dicuntur alia lingua loqui.

II.

(a) Hinc alius eſt delectus vocabulorum apud Poetas, & alius apud Oratores; ut patebit ex iis, quæ ſuo loco dicam, cum de phraſi poetica. Uno verbo, Oratio Poetarum facta eſt, imò ficta, hoc eſt maximam diligentiam, & curam non modò habens, ſed etiam præſeferens. Quæ certè in conſueto, & communi modo dicendi haberi non poteſt. Sumus enim homines, non Angeli, neque heroes, aut doctiſſimi viri, qui poſſimus in promptu quotieſcumque os aperimus, habere elegantiſſimas formas, quæ ſunt propriæ Poetarum. Imò ſi aliquis Orator illas haberet, nullatenus (ſi prudens ſit) vellet videri illas habere, ſed maximè illas diſſimularet. Semper enim cum Cicerone illi eſt profitendum, Orationem ibi naſci ubi loquitur, non verò elaboratam Domi afferri.

III.

(b) Ex hoc naſcitur proprietas orationis poeticæ, quæ eſt admirabilitas. Quid quid enim à conſueto diſcedit eſt admirabile, & con-

(a) *Delectus verborum apud Poetas qualis?*
(b) *Admirabilitas propria Poetarum.*

convertit in se oculos. Eo pacto quo, persona theatralis, propter vestimenta, & ornamenta à consuetis discedentia, se facit spectabilem, & plausibilem. Et inde est, quod coetus hominum convocatos, Urbesque fabricatas, jura descripta, Res publicas institutas attribuerint Horatius Orpheo, & Amphioni Poetis egregiis. Sic enim in arte.

Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cedibus, & victu fędo detterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosq; leones
Dictus, & Amphiō, Thebanę cōditor arcis.
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica privatis secernere, Sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

IV.

(a) Et quia poeta, non minus quam Orator utitur Inventione, Dispositione, elocutione (constante verbis, & figuris) & tandem peroratione, sive clausula; hinc est quod mihi ostendendum est, quomodo se in illis reddat admirabilem. Nihilominus, quia pro varietate poetarum, & poematum (sunt enim epici, elegiaci, melici, drammatici &c.) varię sunt Inventiones, dispositiones,

(a) *Inventio, dispositio, elocutio, & peroratio, sive clausula, poeticæ.*

nes, formæ dicendi, & perorationes: hinc fit quod nequeam modum hujus admirabilitatis ab omnibus speciatim consequendæ minutim declarare; alioque in volumen hę chartæ crescerent, quod nolo, quià brevitatem mihi proposui. Dicam quædam universalia, quæ tamen viam ad particularia poterunt aperire: postquam stabili vero ea, quæ ad procurandam in Poemate admirabilitatem pertinent. Certè qui illa careret, etsi compleret volumina versibus, non esset Poeta, sed versificator.

V.

(a) Idcircò locum non habent inter Poetas illi, qui Scientias versibus comprehenderunt. Qualis inter cęteros est Possevinus qui Theoriam morborum quinque libris est prosecutus; & auctor Scholæ Salernitanæ, qui præcepta tradit conservandæ valetudinis. Magis Poetæ sunt Apulęjus, Lucianus, Heliodorus, Boccacius, eorumquè similes. Quamquam enim metro careant, admirabilitate tamen abundant.

VI.

(b) Facit ad hanc rem locus Aristotelis, qui capite primo suæ Poetices docet, esse quosdam Poetas, secundum imitationem, aliòs verò, secundum metrum. Illos collocat in poetarum numero, non autem hos, quos

(a) *De Poetis sciẽtias versu complectentibus*
(b) *Poetæ secundum metrum tantum.*

quos ait appellari Poetas ſecundum metrum, hoc eſt ſecundum infimam Poetarum dotem. Etenim, ſi quidpiam medicinæ præcepta continens, aut artis muſicæ proprium ederent, ſic appellare conſueverunt. Nihil eſt commune Homero, & Empedocli, præter metrum. Qua propter, hunc quidem poetam juſtum eſt vocari, hunc verò Phyſiologum, potius quam Poetam. **Hæc** Ariſtoteles.

VII.

(a) Ex quibus magna lux affertur, ut judicari (& quidem tum rectè, tum benignè) poſſint Poetarum opera. Evenire enim poteſt, ut aliquis ſit Poeta præſtantiſſimus ſecundum metrum (exquiſitè elaboratum) non autem ſecundum fabulam: alius tantum ſecundum fabulam &c. Imò fieri poteſt, ut aliquis non in toto ſuo opere, ſed tantum in parte ipſius, Poeta ſit. Qua de cauſa nonnulli, qui verſibus aliquam ſcientiam tractaverunt (& ex hoc capite Poetæ non ſunt) ut Poetæ ſint ſaltem in aliqua ſuorum operum parte, ſolent aliquam fabellam fingere, in qua ſit imitatio, propter quam (ad minimum) fiant admirabiles. Id apparet in elegantiſſimo Siphillidos opere, cujus auctor eſt Hieronymus Fracaſtorius: qui ſicut in verſu, ità in fabellis, quas invehit in hoc opus, imitatur Virgilium, cujus eſt Ariſtæi fabella Georgicorum quarto.

VIII.

(a) *Modus certus judicandi de Poetis.*

VIII.

(b) Qui hac utetur regula, ex uno capite non aberrabit in ferendo de magnis viris judicio. Ex alio non incurret odium si expugnat a poetarum albo, aut Lucretium, aut Lucanum. Respondebit enim facilè sibi contradicenti, eos esse poetas, quoad metrum (præstantissimum) quoad aliquam imitationem, & quoad plures virtutes; licèt non quoad omnes, quæ in poetis omninò perfectis requiruntur.

IX.

Hoc igitur tamquam lex maneat; Poetę, sive doceant, sive oblectent, sive moveant; ut admiratio legentis, & audientis consequatur. Omninò enim Poetarum est proprium admirationem movere, & quidem etiam in animis eorum, qui vel natura, vel industria, vel utraque instituti, de poemate (ut docet Minturnus) probè decernere, ac ferre sententiam possint. Id enim ejusmodi sanè est, sine quo esse nequeat Poeta: Oratori autem non opus est (quò probetur) id laudis comparare. Nam etsi Marco Tullio concedamus perfectum non esse Oratorem qui non possit audientes in admirationem adducere; illud tamen non ità est, quod in quacunque causa sit consecuturus: aut si minus consequatur, ut desinat illo nomine vocari. Cùm planè haud pauci laudentur ut diserti, qui neq; in foro, neque in Senatu hanc admirabilitatem unquam excitaverunt. Propterea quod, ad persuadendum Ora-

---

(b) Qui poetæ sint Lucretius, & Lucanus.

Oratio verisimilis, & ad arbitrium auditoris accommodata, non admiratio requiratur. Quam si quis Oratorum est, qui movere possit, non sanè illorum quidem animos, quibus teretes sunt aures, intelligensq; judicium ad eam impulerit, populi mentem levi approbatione plaudentis, quo arbitro utitur plerumque, ac disceptatore. Hæc doctissimus Minturnus.

X.

Quæ omnia cadunt in cujuscunque generis Poetas. De omnibus enim cecinit Horatius.

--- Mediocribus esse Poetis
Non Dii, non homines, non concessere columnæ.

Quibus versibus hæc ipsa admirabilitas indicatur, de qua hactenus ea dixi, quæ putavi non excedere intelligentiam Adolescentis in arte poetica adhuc Tyronis, cujus utilitati hæc scribuntur.

XI.

Quod igitur spectat ad inventionem, si sermo sit de inventione totius Operis, E.g. Poematis, Elegiæ, Eclogæ, Dithyrambi &c. facilè me percipiet adolescens, docentem, in illa inventione admirabilitatem peti. Prodit enim se vel in fabula, vel imitatione &c. Verum si hanc ipsam admirabilitatem docuero peti in reliquis, quæ afferuntur in eadem fabula, imitatione &c. fortasse meam non

---

(a) *Poetis non licet esse mediocribus.*
(b) *Admirabilitas poeticæ inventionis.*

non tam facilè assequetur mentem. Dico igitur, etiam in his oportere Poetam se admirabilem facere. Quare si describi aliquid inventio sua petit, descriptio habeat admirabilitatem: si aliquos inter se sermocinari; sermocinatio item sit admirabilis: si aliquid narrari, hæc ipsa narratio sit admirabilis. Idem sentiat de multis aliis, quæ in Poemation (hoc est parum poema, neque enim adolescentem meum puto capacem magni) invehi possunt. Omnia sua admirabilitatem habeant: Reputet secum se in opere suæ artis moliendo, quod propter suam (quæcunque sit) magnitudinem, etiam varietatem rerum requirat, adornare velut insignem Pinacothecam, in qua cum plures Pictorum tabulæ sint, omnes tamen opus est, egregias esse: alioqui Pinacotheca illa non esset insignis. Hæc si reputaverit secum, erit solicitus, ne quidquam è calamo poetico effluat, quod non sit elaboratum.

XII.

(a) Dispositio petit, ut inventa distribuantur in suas partes, quæ apud Poetas, non minus quàm apud Oratores (imò apud quoscunque homines, sive dicant sive scribant, dummodo opus faciant, illudque sapienter, non autem temerè) sunt, Exordium, Narratio, Confirmatio, Epilogus. Quarum tamen aliqua interdum omittitur, ut docent Rhetores. In his partibus debet Poeta admirabilitatem inquirere, ut tota dispositio admirabilis fiat.

XIII.

(a) *Dispositionis.*

XIII.

(a) In Exordiis fiet admirabilis Poeta; reddendo quidem benevolos, dociles, attentosq; Auditores (ut præcipiunt Rhetores, faciuntque Oratores) sed via ab Oratoribus diversa. Oratores versuti sunt, & callidi; dicunt enim, non ut delectent, sed ut vincant (delectatione autem utuntur velut medio, non velut fine) adeoque subdolo, tectoque artificio incedunt, sito in astutis insinuationibus, præparationibus, simulationibus, præoccupationibus, &c. Poetæ sunt apertiores, quia canunt, ut placeant. Propterea eorum exordia sunt brevia; statim enim proponunt ea, quę canere statuerunt. Quid brevius exordio Homerico, quod Odissεæ præfixit ejus auctor?

Dic mihi musa virum, captæ post tempora Trojæ.
Qui mores hominum multorum vidit, & Urbes;

Neque longum est Virgilianum

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris.
Italiam fato profugus, Lavinaque venit Littora.

Benevolum autem, attentumque sibi reddunt Auditorem indicata excellentia, aut rei, aut hominis, quam sunt prosecuturi. Docilem verò, candido, expedito, perspicuoque versu mentem suam explicando. Quod si Virgilius in Georgicis videtur proli-

(a) *Admirabilitas exordiorum Poeticorum.*

lixior quam fuerit in exordio Æneidos, id contingit, quia Georgica dedicavit Augusto; & hæc dedicatio longiusculum fecit illud exordium. Comici pro exordio brevi coguntur uti longiusculis Prologis, ut auditoribus explanent negotia privatorum (adeóq; ignotorum) hominum. Quod non fit neque ab Epicis; neque à Tragicis, qui canunt Heroas, Reges, & Duces omnibus (saltem ex fama) notissimos. Sed de exordiis magnorum Poematum hæc sufficiat innuisse Candidato Poeseos.

Subdam potius quædam alia, quæ spectant ad exordia minorum Poematum. In his exordiis ut se admirabiles, spectabilesq; faciant Poetę, usurpant figuras valdè sonoras, quibus etiam propositionem includunt. Hujusmodi est exordium Statianæ sylvæ, quam Poeta effudit super statuam Domitiani collocatam in Romano foro, cujus tale est exordium propositioni junctum.

Quæ super imposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum? Cœlone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies fessum Brontem, Steropemque reliquit?

En ut vates, se non capiente admiratione commotus, in aliis etiam admirationem excitet. Complura hujusmodi artificii exordia apparebunt apud scriptores brevium horum Poematum, quæ Poematia dicuntur. Ex quibus constabit, quàm diverso

modo

modo exordiatur, Orator, Historicus, & quilibet alius Prosaicus. Imò, cum Poetæ boni canant affectu aliquo concitati, & quidem vehementi, illi affectui committunt, ut ita dicam, exordium. Propterea elucescit in principiis ex abrupto sæpè factis perturbatio, sive affectus, quo agitatur Poeta, lætitiæ, mæroris, iracundiæ, doloris, &c. Sæpè etiam (semper in longis Poematis) invocant Musam: Christiani Poetæ aliquid Musa prophana sublimius. Quod etiam præstant, ubi ad difficilem locum veniunt, in quo egeant auxilio Divino. Sic Virgilius in secunda parte Æneidos in qua prosequitur bellum, & prælia Æneę, invocat nova prece Musam in principio sui operis imploratam, Canens

Nunc age, qui Reges Erato, quæ tempora rerum
Quis Latio antiquo fuerit status &c.

Et alibi in eadem Æneide.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusque movete.
Qui Bello exciti Reges &c.

Hæc autem Musæ invocatio ostendit: *Primo* Poetam dicturum de rebus tam excellentibus, ut vires humanas excedant: unde excitatur cum admiratione attentio. *Secundò* potius se dicturum ea, quæ suggeret Musa, quam quæ sibi subministrabit ingenium. *Tertiò* se cogi non consueto modo, sed planè divino, & emphatico loqui, ut loquatur digna Phœbo, & digna Camœnis. Ex quo sequitur, Poetam (si velit cohærenter ad invocationem factam, & ad Musæ oratam, exoratamque opem progredi) fieri

sibi ipsi maximè attentum, ne repat, ne ineptiat; hujusmodi enim lapsus ostenderent illum, aut oretenus invocasse Musam, aut à Musa non exauditum fuisse, aut derelictum. Ceterum modos variandi Exordia poetica ostendit lectio Poetarum. Adolescenti, pro quo scribo, satis erit, si observet Scriptores Sylvarum, & Lyricorum. Non excludo tamen, aut Elegiacos, aut epigrãmatarios; quibus utique sua sunt exordia valdè diversa ab exordiis Prosaicorum. Semper tamen meminerit reddere illa brevia, & clara, ita ut propositio eluceat, eaque de causa abstineat à modis dicendi obscurioribus. Proficiat ex lectione eorum Poetarum qui scripserunt Epicædia, Epithalamia, Genethliaca, Proptentica, Eucharistica. Ab his enim (si artem teneant) exordiũ artificio Poetico elaboratur, in quo propositio statuatur, de qua inde erunt reliquę Poematis partes. Quod admonui, ne unquam putet meus Tyro, temerè Poetas magnos procedere, procedunt enim sapienter.

XIII.

(a) In narrationibus fiunt admirabiles Poetę, quia discedunt à modo narrandi quem servant Historici, & Oratores. Historicus narrat ut vera exponat. Orator, ut ex narratis proficiat causa. Poeta narrat, ut rem repræsentet,ettereà minutius, diligentiusque rem exponit, circumstantias eruit, ut videatur pingere verius quam narrare; quatenus tam ad viuum res exprimit, ut (media phantasia) videatur res oculis ma-

(a) *Admirabilitas narrationum poeticarũ.*

magis cerni, quam auribus audiri. Præsertim verò narrat imitando. Quod fieri potest triplici modo. *Primus* est drammaticus *Secundus* exegematicus. *Tertius* mixtus. Drammaticus modus est cum, tacente Poeta, personæ spectantes ad rem, quæ narratur, solæ loquuntur: ut fit à Tragicis, & à Comicis. Exegematicus est cum Poeta semper loquitur; eoque (ut plurimum) utuntur Lyrici, Dithyrambici, & Epici quidam se non immutantes (hoc est neminem invehentes qui loquatur) qualis est aliquando Claudianus in Panegiricis, & alii. Mixtus est ille, in quo Poeta partim loquitur (quia ex sua persona narrat) partim tacet, quia se immutando alios inducit loquentes. Perfectissimus est primus modus: imperfectior secundus: tertius autem est eorum qui scribunt Epopœjas proprius: ut apparet in Homero, & Virgilio, cæterisque eorum similibus Epicis. Qui sic narrant (ut imitentur) prosopopæjas frequentant, ita elaboratas, ut verisimile sit ita locutos fuisse illos, qui sic inducuntur verba facere. Usurpantur affectus, beneficio quorum redditur elegantissima Oratio; & quod caput est tam apud Poetas inaffectata, quàm esset affectata apud Historicos. Ratio est, quia hoc est Poetarũ munus, hoc ipso quod imitantur. Proinde profiteri expressionem affectuũ decet imitatores: dedecet autem historicos, quia imitatores non sunt. Et si quando affectus excitant, id faciunt clãculum, cum Poetę eos apertè exprimant. Pręterea dicuntur narrare Poetæ etiã quando describunt personas. Sic Virgilius Nisum descripsit.

Nisus erat portæ custos accerrimus armis
Hyrtacides, comitem Æneę, quem miserat Ida
Venatrix jaculo celerē, levibusq; sagittis
Et juxta comes Eurialus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana nec induit arma.
Ora puer prima signant intonsa juventa.

Ecce descriptionem personæ factam per narrationem; quam Poeticam esse (inter cętera) ostendunt minutæ circumstantiæ, quas revelavit Poeta; ut sic se ostenderet imitatorem, & redderet credibilem narrationem suam, licet fictam.

Dicuntur etiam narrare causas cum eas describunt. Quod fecit Virgilius describens causas irarum Junonis in Teucros.

Progeniē sed enim Trojano à sāguine nasci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Etiam narrare locum, cum illum describunt. Ut

Est in conspectu Tenedos notissima fama
Insula.

Et tempus, quandò afferunt ejus descriptionem. Ut

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuum gratissima serpit

Et actionem cum ob oculos ea subiicitur. Ut

At manus intereà muris Trojana propinquat:
Hetruscique Duces, equitumque exercitus omnis
Compositi numero in turmis; fremit æquore

re toto
Insultãs Sonipes, & pressis pugnat habenis
Huc obversus, & huc.

Et affectus cum illi exprimuntur; ex persona tamen Poetæ (sicut omnia hactenus in exemplum allata à Virgilio dicuntur narrari, quia illa in sua persona describit, non in aliena) Ut

Pheretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret, lacrimansque, gemensque.
Et via vix tandem voce laxata dolore est.

Pariter dicuntur Poetæ narrare modum rei, cum illum describunt. Ut

Validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit, & parmam mucro levia arma minacis,
Et tunicã, molli mater quã neverat auro.

Quæ attuli in exemplum, possunt ostendere idem esse dicendum de aliarum rerum descriptionibus, quas cum profert Poeta in sua persona, dicitur narrare: si enim in aliena id faceret, diceretur imitari.

Cęterum cum etiam elegiaci, & melici narrent, utiq; id faciunt alia via, quam Epicus. Sed si vellem id ostendere, jam non sisterem in ostendenda ratione narrandi poetarum diversa ab Historicorum, sive Oratorum, sed progrederer ad singulas Poematum species, quod nunc non intendo. Quæ autem sunt communia narrationibus Prosaicorum, & Poetarum, hic non affero, neque enim nunc doceo narrare. Discenda sunt ab iis, qui hæc docent.

(a)XIV. Confirmationes Poetarum, utique continent rationes, tum illas, quibus probant, tũ illas, quas refutant, sed id omnino alio ab Oratorum artificio pręstant. Verissimè enim docuit Aristoteles, Oratores plus habere Dialectices, Poetas plus ostẽsionis, cujus dicti hęc est explicatio; Oratores uti ratiocinationibus, ac dictionibus, ut demonstrent aliquid, quod faciunt, aut minuendo, aut amplificando; aut quidpiam simile præstando. Poetæ verò id obtinent, ostendẽdo rem ipsam. Utriq; optimè. Orator persuadet dictione: Poeta imitatione. Dicenti utilis est dyalectica: imitanti ostẽsio. Orator intellectum tentat. Poeta Phantasiam. Et quemadmodum brutis mẽte carentibus, & phantasia pollentibus persuademus (ut ita dicam) aliquid non dicendo, sed ostendendo (Cani E.g. frustulum panis, ut nos comitetur) sic Poeta rerum ostensiosione persuadet. Quod manifestum est in Theatris: in quibus persuadentur virtutes, & vitia sola ostensione. Hoc etiam quomodo fiat, non est meum hic declarare vi instituti mei. Esset locus id exequendi, si de Epopeja dicerem. Unum tamen hic dico, hanc persuasionem ut Poeta obtineat per ostensionem, debere rationes sensibiles, & phantasiam afficientes quærere: in illis enim maximè hæc rerum ostensio apparet. Ecce quomodo ex hoc capite persuadet Juno Æolo, ut tẽpestatẽ excitet contra Trojanos.

Æole (namque tibi Diuum Pater, atque
hominum Rex,

Et

(a) *Forma confirmationum Poeticarum.*

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vētos)
Ecce exordium, verè poeticum, ex brevitate; & ex laudatione (qua captatur benevolentia) procedente per ostensionem, Jovis, fluctuum, ventorum, &c. Rationes sunt ejusdem artificii; ostendit enim velut digito id, quod contra se agunt Trojani dicens:

Gēs inimica mihi Tyrrhenū navigat ęquor
Illium in Italiam portans, victosq; pęnates.

Etiam hic per ostensionem proceditur. Nam ostenduntur Trojani navigantes, &c. Petitio fit per eandem ostensionem, dū ait:

Incute vim vētis, diversasq; obrue puppes
Aut age diversas, & distice corpora ponto.

Promissio denique præmii eandem habet ostensionem. Sic enim concludit

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarū; quę forma pulcherrima, Dei opeiā,
Connubio jungā stabili, propriāque dicabo,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentē.

Adolescens, cui scribo, percipiet quid sit persuadere ostensione. *Primò* si constituat se in Emporio in quo mercatores, non voce invitant transeuntes, ut emant, sed merciū expositione: His sic ostensis, persuadetur, quam pluribus earum comparatio. *Secundò* adeat Pictorem, & ab eo petat, ut pingat sibi Junonem ea persuadentem Æolo, quæ Virgilius expressit. Quid faciet Pictor, qui mutus est? Penicillo suo effinget classem Trojanorum navigantem: Junonemq; aut manu, aut nutu illam indicantem Æolo. Pinget etiam ventos, aut eorum cavernam, & Junonem ventos illos Æolo indigitantē: & ge-

ſtu, vultu, oculis, reliquo ſui corporis habitu ita ſe gerentem, ut qui hæc ſpectaret in tabula, intelligeret à Junone perſuaderi, quæ ſunt apud Virgilium. Idem dicatur de ſuis Nymphis, quas eidem Æolo pictor ille ſic effingeret, ut noſceret earum pulcherrimam ſibi ſponderi a Junone. Et hæc de rationibus ad confirmationes poeticè tractandas pertinentibus, quantum petit brevitas quam hic mihi conſtitui, & captus adoleſcentis adhuc (quem talem fingo) Tyronis.

XV.

(a) Epilogi, ſive clauſulę petunt affectus. Hi pariter diverſimodè à Poeta tractantur, & ab Oratore. Poeta enim illos tractat, tamquam imitator; Orator verò tamquam Actor ad illos excitandos. Propterea Orator utitur motu corporis, variatione vultus, comploſione, aut alia compoſitione manuum, pronunciatione: etiam aliquando (ut apud antiquos Oratores) ſtatuis quibusdam: uno verbo omnibus illis adjumentis, quæ valent ad excitandos in Auditoribus affectus. Poeta, ſi id faceret hoc artificio damnaretur; ut damnatur Lucanus, qui Declamator cenſetur potius quàm Poeta, propter longas ſuas invectivas, ejulationes, conqueſtiones quibus abundat. Idcircò ſola imitatione (hoc eſt vivaciſſimas eorum quæ facit ad illos excitandos repræſentatione) illos excitat. Hac arte Virgilius movet Æneam ad miſerationem amici, quem apud Inferos deſcribit corpore lacerato in his verſibus.

Atque

(a) *Clauſulæ ethicæ quales?*

Atq; hic Priamidem laniatũ corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora, manusque ambas, populataque tempora, raptis
Auribus, & trũcas inhonesto vulnere nares.

Quod autem in hoc exemplo ostendi factum Virgilio per modum exegematicum, possem alio exemplo ostendere fieri ab eodem per modum Drammaticum. En igitur, quomodo Poeta fiat admirabilis, in affectibus quidem epilogi per imitationem, in rationibus autem confirmationum per ostẽsionem. Hi modi ad Orationem nullo modo spectant. Nam, quà Orator est, dictione persuadet, et excitatione affectuum movet. Si alia via procederet, messem alienam sine sua laude intraret. Laus enim Oratoris est in eo sita, ut quanquam res suaptè natura tristes. E.g. non appareant, vel jucundæ, vel parvæ, vel magnæ, nihilominus per instrumenta propria suę artis (qualia sunt amplificatio, imminutio, insinuatio, &c.) appareant Auditoribus quales ipse vult.

XVI.

(a) Elocutionem denique, ut admirabilem faciat Poeta, eloquitur diverso modo ac Prosaicus, & phrasi diversa utitur, quam etiam hic conabor enucleare ad captum adolescentis pluries commemorati. Phrasis igitur (sive modus dicendi) est velut indumentum, quo vestitur sententia mentis, ut percipiatur à sensu auditus, & per ipsum à phantasia. Philosophus non curat illam ele-

(a) *Admirabilitas, & artificium elocutionis poeticæ.*

ganter vestire: contentus enim est rem docere, non autem ornare. Qua de causa Aristoteles docuit, Philosophi esse modum dicendi ennunciativũ (qui est simplicissimus) Oratoris autem, & Poetæ affectũ, sive (clarius) affectuosum, qui est, longè elegantior ennunciativo. Meum est hic ostendere quid Poeta faciat, ut poeticè vestiat per phrasim sui propriam sententias animi. Quod idem est ac ostendere, quo artificio fiat phrasis Poetica; vi cujus differat à non poetica.

I. Ut sit poetica Phrasis debet esse ficta, sive facta, hoc est à vulgari sermone remota. Propterea eligit Verba: hoc est; ex iis, quæ sunt usitata, quærit minus trita; ex inusitatis, ea quæ sunt neutiquam insolentia.

II. Admittit Verba composita, ut armipotens, arcitenens, velivolum, undivagum &c. Ita tamen ne illa nimis frequentet; fieret enim phrasis valdè tumida.

III. Utitur Tropis audacioribus, cujusmodi sunt Metonymia, Synecdoche, Periphrasis, Onomatopęja, Catachresis, Metalepsis. Quare usurpando Metonymiam ponet inventorem rei pro re inventa: utque explicet abundare panem, dicet copiosam esse Cererem: quia Cereres fuit ejus inventrix. Idcirco est illud Virgilianum

Onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris

Hoc est canistra implent pane. Pariter ponet Martẽ pro bello: Bacchũ pro vino, &c. Usurpãdo Synecdochem ponet Poeta partem, voletq; intelligi totum. E.g. dicet Puppim, & totã Navim significabit, &c. Recolenda sunt, quę de hoc tropo passim docentur;

tur; quæ à me brevitatis gratia omittuntur.

Usurpando Periphrasim describet rem, ejusque descriptione utetur, non verò ipsius nomine. Sic Claudianus omisso simplici nomine Plutonis, vocavit *Infernum raptorem.* Virgilius prętermisso simplici Æneæ vocabulo, dixit per ipsius Æneę descriptionem, sive circum locutionem.

Virum, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, lavinaque venit
Littora

In cujus tamen usu opus est sobrietate: quia ejus nimio frequentata Periphrasis reddit Poetam loquacem, & Poema longumque, plenumque fastidio.

Usurpando Onomatopęjam finget, innovabitq; voces. V.g. *Taratantara Bombus*, &c.

Usurpando Cathacresim, ponet Verbum proximum loco proprii. Ex quo capite dixit Virgilius de Græcis.

Equum Divina Palladis arte ædificant: ædificandi verbum proprium cęmentariorū transferēdo ad opus fabrorū lignariorū.

Usurpando Metalepsim ponet aristas pro annis, facta gradatione ab aristis ad spicas, à spicis ad messes, à messibus ad annos: dicendo, post aliquot annos, ut Virgilius *Post aliquot mea Regna videns mirabar aristas*.

Dixi hujusmodi Tropos esse audaciores: magnæ enim audaciæ, sive confidentiæ est uti vocabulis tam alia significantibus ad significandam rem adeò remotam à propria illorum significatione. Quod tamen quia & ipsi Poetę noverunt, hinc est, ut spargant illos potiùs sobriè in sua poemata, quam illis eadem impleant.

IV.

IV. Transponit Verba, ità ut discedat à grammaticali collocatione. Grammaticus primo loco ponit nomen rectum, deinde Verbum, postea casus &c. Poetæ conceditur (metri gratia) turbare hunc ordinem. Sic Claudianus incæpit à genitivo, & accusativo; & collocavit nomen, & Verbum in fine sententiæ dicens:

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sydera Tænario, caligantesque profundę
Junonis thalamos audaci promere cantu
Mens congesta jubet.

Admoneo tamen laudabilem esse poetam, qui transponit quidem, sed adeò leniter, suaviterquè, ut vix appareat transpositio; Sic Virgilius lenissimè transposuit Verbum in principio. Æneidos dicens:

Arma virumquè cano

Si enim immoderata sit transpositio, confundit, & obscurat sententiam.

V. Utitur figuris dictionum valdè inusitatis apud Prosaicos: Syncope videlicet, Aphæresi, Paragoge, Epenthesi, Prothasi, Apocope, Metathesi, Tmesi &c. Sic per Aphæresim mutilat initia dictionum, dicendo *Ruit* prò *Diruit*, & *Temnit* pro *contemnit*: per Syncopen aufert aliquid è medio dictionis, dicens *Diuum* pro *Divorum* &c. Per Paragogen addit in fine vel syllabam, vel litteram, dicendo *laudarier*, E.g. pro laudari, &c. Per Epenthesim addit aliquid in medio vocis, dicendo. E.g. *Navita* pro *Nauta*: *Mavors* pro *Mars*: *Induperator* pro *Imperator*. Per Prothesim addit aliquid initio dictionis. E.g. *Gnatus* pro *Natus*. Per Apocopen aufert syllabam à fine, dicendo.

E.g.

E. g: *Tuguri* pro *Tugurii*, & *Men* pro *mene*. Per Metathesim commutat ordinem in literis, E.g. *Evandre* pro *Evander*, & *dare circum*, & *circumdare*, &c. Per *Tmesim* secat dictionem compositam cum interpositione alterius; adeoq; dicet. E.g. *Septem subjecta Trioni* pro *Subjecta Septentrioni*.

VI. Rem explicat per effecta rei. Quare dicet: *Lucis qui Lampada torquet* prò Sole, Solis enim est lucem ad nos afferre. Duo autem genera effectuum faciunt phrasim maxime poeticam, Antecedentia scilicet, & consequentia. Antecedentia sunt quibus positis res consequitur: Consequentia quæ rem positam sequuntur. Per antecedentia expressit Virgilius occisionem, suppresso enim vocabulo occidendi, dixit, quod in viscera

Capulo tenus abdidit ensem.

Si enim hoc antecedens præcessit, utique intelligitur secutam esse occisionem. Per consequentia expressit Turnum ab Ænea occisum dicens:

Vitaq; cũ gemitu fugit indignata sub ũbras

Ad occisionem enim sequitur, Vitam (hoc est animam) fugere, & juxta ethicam doctrinam) ad Umbras. Vellem tamen ab Adolescente, ad quem scribo, ex omnibus effectis; sive sint antecedentia, sive consequentia, sive alia, eligerentur ea, quæ magis sunt sensibilia. Hac enim via magis accederet ad picturam, cujus est imitatrix Poësis. Quatenus id quod facit pictura per colores rem oculis subiicientes, ut ab oculis transeat rei notitia ad phantasiam, idem conatur Poesis per verba in phrasim coalescentia,

coalescentia, & ad aures directa, ut ab a ursibus ad eandem phantasiam ferantur. Quod ideo inculco quia si Poeta totis viribus non curet phantasiæ se accomodare, suum munus non implebit. Ratio est, quia Poësis est una ex artibus popularibus, hoc est pro populo inventis, ad illum (juxta suam capacitatem) erudiendum. Populus autem ex natura sua eruditur maximè per phantasiam. Ad Phantasiam verò sensibilia (est enim potentia sensitiva) pertinent.

VII.

Antiquis vocibus utitur. E. g. *Olli* pro *illi aquai* pro *aquæ* : *potestur*, &c. Meminisse tamen debet Adolescens sobrietatis in earum usu.

VIII. Hellenismos, sive Gręcismos usurpat: hoc est modos dicendi petitos à Gręcis. Sic usurpavit genitivum græcum *Arcados*. E.g. pro latino *Arcadis*, Accusativum *Cratera* pro *Craterem*. Dicet, *noli certare duobus* pro *noli certare cum duobus*. Dicet *certa mori* pro *certa moriendi*, Djcet *Fident animi*. pro *Fident animo*. Dicet *lucida uultum: Stellatus tergora*, *Flava comas*, &c. pro *lucida uultu*, *stellatus tergore*, *Flava comas* &c. Quæ phrases serviunt fæcunditati, & facilitati, poetæ simul, & versus elegantiæ. Dummodo prudenter usurpentur, quod semper cavendum est in his rebus, quæ valdè à consueto discedunt.

XI. Maximè dat animum Phrasis poetica, affectumque rebus sensu, nedum affectu carentibus. Quo pacto, quasi elementum ignis esset equus furibundus, dixit de illo Virgilius

Furit

Furit immissis Vulcanus habenis,
Transtra per, & remos, & pictas abjete puppes,

Et, veluti remi athletæ essent, dixit idem de iisdem.

Luctantur in æquore tonsæ.

Et veluti scopuli essent gigantes contra Cælum armati cecinit.

Geminiquè minantur in Cælum scopuli:

Phrasis hoc artificio elaborata duo commoda creat Poetis. *Primò* Delectationem, quæ maxima percipitur, concipiendo insensibilia sicut animata. Videmur enim nobis spectare in theatro peregrinam, adeoq; admirabilem personam. *Secundò* energiam, & brevitatem dicendi. Certè efficacius, & brevius magnum incendium explicatur animato igne per phrasim jam laudatam

Furit immissis Vulcanus habenis.

Quàm si dixissemus: incendium excitatum est tantum, ut fidem superet. Præterquam quod ille modus dicendi plus intelligendum relinquit quam dicat. Eaque de causa magis imitatur tabulas pictoris: quæ tunc præstantissimæ sunt, cum relinquunt plura de se consideranda, quā colores ostendant.

X.

Animam hanc, & affectus (adeoque vitam, & motum) ut elegantiores facerent Poetæ, excogitaverunt currus, & equos, quos. E.g. Soli attribuerunt: Item Domos; & propterea Domus invidiæ ab Ovidio describitur; Regia; Solis, &c. Quare Marti suam quadrigam assignant, suum currum Cybeli; suam Concham Veneri &c. Sic vestiunt

stiunt virtutes, & vitia iis indumentis, quæ collegit Cartarius in Deorum imaginibus. Sic partes humani corporis attribuunt rebus insensatis: adeoque dicunt, arbores extendere brachia, montes extollere caput; undas murmurare, prata ridere, responsare valles, gemere sub pondere plaustrum, &c. Quod quia etiam Oratores viderunt; quam sit plausibile, traduxerunt in suas Prosas, dissimulanter tamen, & rectè; ut occultarent (quod ipsorum est proprium) artem.

XI. Patronymica sunt propria Poetarum. Sunt autem propriè Patronymica ut indigitat nomen nomina deducta à Patribus ad significandos filios: ut Anchisiades ad significandum Æneam filium Anchisæ. Minus autem propriè deducuntur etiam ab aliis. Sic Æacides primò significat Pelleum filium Æaci: deinde Achillem filium Pellei, adeoq; nepotem Æaci. Frequentant hæc Patronymica antiqui Poetæ. In quorũ tamen usu cavendum est, ne nimis longè petantur, alioqui redderetur obscurissima Oratio. Quis enim E. g. audiens patronymicum derivatum à Tritavo facilè veniat in cognitionem Nepotis? Peccat in hoc Statius, qui propterea obscurior est. Adverto patronymica (ut plurimum à prophanis Poetis fieri ex græcis vocabulis: à sacris verò ex Hebraicis, rarò à latinis; licet Virgilius *Scipiadas* dixerit. Proindè non diceremus eleganter Petrides pro filio Petri; Paulides pro filio Pauli. Benè autem diciemus Anchisiadem pro Ænea: & Abrahamidem pro Isaac. Puto rationem esse, quia

Græci,

Græci, & Hebræi non distinguebant familias per cognomina, ut latini: adeoq; cogebantur filios denominare à Patribus. Cęterum rationem formandi Patronymica etiam à Patria, etiam à natione, &c. discat meus adolescens à Grammaticis: horum enim doctrina ad hoc meum institutum non pertinet.

XII. Phrasis Poetica maximè fiat à verbis gravibus. Nomine Verborum (sive malis dictionum) gravium veniunt ea vocabula, quæ paucis multa complectuntur, & penè dicunt id quod est summum, & maximum in ea re. Sic E.g. in genere occisionis gravius est *trucidare*, quam *occidere*. In genere rapinæ gravius est *latrocinium*, quam *furtum*. Vocabula hæc maximè adjuvant Poetam, ut ejus Oratio sit equestris, non autem pedestris. Eques expeditior est pedite. Oratio poetica expeditior prosaica. Unde hæc expeditio? Certè ex ablatione impedimentorum. Oratio impeditur à multitudine verborum: quam tamen multitudinem vitare non potest, quando verba non sunt gravia. Ratio est, quia ea verba singulatim accepta non explicant totum id, quod vult Poeta. At gravia id faciunt. Propterea illa conquirunt Poetæ; suntquè illis ad instar aureorum nummorum, quorum unus (sine sarcina multis æneis æquivalet. Hinc sunt epitheta significantissima, gravitas enim vocabuli, extra metaphoram in eo sita est, ut multum habeat significati quale est illud Horatii de Cleopatra, quæ dicta ab illo fuit.

Deliberata morte ferocior.

Qui-

Quibus epithetis cum opus est utentes Poetæ, incredibile est, quàm celerem reddant Orationem, expeditam, & paucis multa significantem.

XIII. Phrasis poetica reddit Orationem talem, ut quæ ab illa assumuntur ad exponendam animi sententiam possent à Pictore in tabula fingi; adeò ut verificetur, Picturam esse Poesim mutam; Poesim autem picturam loquentem. Et per hoc maximè discriminatur à Prosaica. Ratio est, quia Prosaica procedit in exponenda sententia (quæ est insensibilis, latensque in mente) per significationem, non autem per ostensionem. Nam minimè producit res ipsas, sed signa rerum, hoc est Verba instituta ad significandas res: Poetica autem procedit per ostensionem, resque ipsas producendo, per verba quidem, sed ita ut ejus Verba non sint signa sententiæ, sed rerum; revelatione quarum sententiam exponit. Propterea cum Verba nequaquam pingantur, sed res; hinc est Orationem poeticam (si verè poetica est) pingibilem esse, non autem Prosaicam. Propterea Adolescens meus, quando cogitabit de aliqua re poeticè efferenda, cogitet simul, an phrasis, quæ sibi occurrit sit pennicillo exprimibilis. Certè phrasis Horatiana, quæ expressit hanc veritatem, nimirum *Omnes æquè divites, ac pauperes mori*, benè caderet sub pennicillo Pictoris: dixit enim

Pallida mors æquo pulsat pede.
Pauperum tabernas, Regumque Turres.

Ecce pallorem: ecce pedes: ecce tabernas: ecce palatia; quæ omnia sunt pennicillo effin-

effingibilia; simul cum morte, aut fores quatiente manibus, aut pedibus impellente. Phrasis ità concinnandæ si Adolescens meus erit solicitus, poeticam faciet, & pingibilem.

Sed quia timeo, ne adhuc me benè Candidatus Poetices sit percepturus; placet illustrare id quod dicebã: Oratorem scilicet per Significationem procedere, Poetam autem per Ostensionem. Dicet aliquis, cũ Orator, & Poeta utantur Vocibus, quomodò fieri potest, ut apud alterum sint significationes, apud alterum ostensiones? Respondeo alterum fieri ab Oratore, quatenus sua Verba ita in phrasim disponit, ut significent res, non autem ostendant. Alterum fieri à Poeta, quatenus sua Verba ita in phrasim pariter disponit, ut rẽ ostendãt. Rem elucidabit exemplum. Duo scriptores utantur calamo, & atramento: & utriq; propositũ sit Leonem in charta exhibere. Procedet per significationẽ ille, qui scribet elementa, quibus constat, hoc nomen Leo. Procedet per ostensionem ille, qui nomen non scribet, sed eodem calamo, & atramẽto delineabit Leonem. Orator per significationem exponet, mortem illatam Turno ab Ænea, dicens: Æneas interfecit Turnum. Ecce Verba coalescentia in phrasim, sive modum dicendi, quæ significat, non ostendit. Poeta verò dicet cum Virgilio

Ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus

Ecce Verba in phrasim ità digesta, ut actionem occidendi, adeoquè mortem ipsam repræsentet illatam.

XIV.

XIV. Hinc aliud caput aperitur faciendę phrasis valdè poeticæ; videlicet imitatio. Nomine imitationis (quantum sufficit ad hoc meum institutum) intelligo vivam cujusque rei (de qua sermonem facit) expressionem, quæ habetur revelando attributa (sive proprietates) rei tum extrinseca, tum intrinseca. Dixi, tum extrinseca, tum intrinseca, ut hoc pacto admonerem Poetam meum, debere ęmulari pręstantissimos Pictores, qui non contenti externis affectionibus (præsertim cum hominem pingunt) ad internas etiam adspirant coloribus exprimendas. Ecce exemplum ex Virglio, exprimit externam effectionem Matris dolentis super Mortem Euriali sibi nunciatam dicens;

Subitus misera calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii, revolutaq; pensa.
Evolat infelix, & feminco ululatu
Scissa comas, muros amens, atque agmina cursu
Prima petit. Non illa virū, non illa pericli
Telorumque memor.

Ut autē internam exprimeret, mutat personā; invehitq; matrem ipsam quę sequentibus versibus suum dolorem sic exprimit

Nunc ego te Euriale aspicio: Tu ne illa senectæ
Sera meæ requies? Potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missū
Affari extremū miserę date copia matri?
Heu, terra ignota, canibus data præda latinis
Alitibusq; jaces? nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Veste

Veste tegẽs, tibi quam noctes festina, diesq;
Urgebam, & tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quæ nunc artus, avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? Hoc mihi de te
Nate refers? Hoc sum terraque, marique secuta?
Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Coniicite ò Rutuli: me primam absumite ferro:
Aut tu magne Pater Divũ miserere tuoq;
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Ex quibus duo intelligat meus Adolescens: alterum quàm necessaria sit præstanti Poetæ cognitio omnium rerum, ne illas imitando erret. Pręsertim verò Ethices, quæ tradit morum doctrinam, ut sciat internos eorum, quos suscipiet imitandos exprimere prudenter affectus. Verum prosopopæjæ quibus vivi homines inducuntur loqui, sunt adeò propriæ Poetarum, ut vix decere possint Oratorem. Ratio est, quia sunt imitatores. Propterea sicuti in ore Poetarum, sunt verosimiles, ita inverisimiles sunt in labiis Oratorum. Quos tamen decet parietes inducere loquentes, & mortuos. Ratio est, quia Orator ipse loquitur, & sua ponit in ore parietum, mortuorum, & similium, non imitando, sed agendo; & conditionatè (si possent) illos inducendo ad loquendum.

XV. Ad phrasim poeticam spectant Epitheta, sive velis dicere. Apposita, quę sunt

non levè ornamentum, per quod Oratio poetica discriminatur à non tali. Dicitur Epithetum quasi positum post, vel cum: & Appositum, eo quod apponatur; vel adjunctum eo quod adjungatur nominibus. Non debet autem esse otiosum (hoc est nihil manifestans nominis) sed operosum, & in cognitionem nos ducens alicujus proprietatis, quam ex solo nomine ignoravissemus. Valet Epithetum ad brevitatem: patet enim opus futurum fuisse multis Verbis ad explicandum id, quod significavit Epithetum, præsertim cum est verè grave, hoc est benè significans. Quot verbis indiguissemus ad explicandam scalam, quam Statius duobus verbis expressit, ubi inducitur Capaneus, de quo dicit, quod

Aereum sibi portet iter.

valent præterea ad ornatum, non purum, purum sed qui aliquẽ splendorem rei adiiciat, ut Alba ligustra: maria humida. Valent ad energiam, cum per epitheta exprimitur res magis, quam sine illis qualia sunt in illa exprobatione Junonis ad Venerem

Egregiã verò laudẽ, & spolia ãpla tulistis,
Tuque, puerque tuus; magnum, & memorabile nomen,
Una dolo Divum si femina victa duorũ est.

Quæ omnia nemo est qui non videat quantam vim dent sermoni Junoniano. Optima sunt epitheta, quæ desumuntur à fabulis, à regionibus, à Diis. Optima, quę manifestãt differentiam ultimam rei, de qua sermo est. Optima quæ includunt rationem aliquam, & argumentum: cujusmodi sunt quę ex Virgilio paulò ante attuli. Cavendum est

ne Epitheta sint superflua, & ne ex eorum frequentatione fiat poema verbosum, & oneratum, veriùs, quàm ornatum, & ne sint falsa; quod sæpè contingit, cum E.g. temerè superlativa ponuntur, licet illa non competant rei, cui aptantur. Quod idem dicendum est de hyperbolicis. Sicut enim hyperbole facit ad phrasim poeticam benè usurpata, ita si malè, opus deformat.

Vellem, etiam, adolescens meus esset prudens in usu Epithetorum, ita ut videatur illis uti necessitatis gratia. Ars enim vera præsertim in ornamentis in eo sita est, ut non putetur affectare id, quod ornat. Virgilius etiã in hoc (sicut in cęteris) prudentissimus, utitur Epithetis, dissimulanter, ita ut sæpè effugiãt lectorem; Eaq; de causa variat loca in quibus ea collocat. Statius in ipso Thebaidos principio quot Epitheta ostẽtat? Ecce

Fraternas acies, alternaq; Regna prophanis
Decertata odiis; Sontesq; evoluere Thebas
Pierius menti calor incidit.

At Virgilius quam pauca? (*oris*
Arma virumq; cano. Trojæ qui primus ab
Italiã fato profugus, lavinaq; venit littora

Vnum adhibuit: nam *Primus* vix inter Epitheta adnumerandus est.

Solet quæri, an geminari possint Epitheta sine ulla conjunctione? Respondeo ut plurimum id non esse faciendum. Fit tamen à bonis Poetis, cum ex eorum multiplicatione, etiam demptis conjunctionibus, contingit aliqua auxesis utilis, ut Virgilianum illud, quod tot Epithetis, totidem exponit conditiones Regio Palatio debitas, dicens:

Tectũ augustũ, ingens, centum sublime columnis.

D

luminis.
Et aliud
Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum.
Rarò terminatur versus per epithetũ, præsertim quãdo est participium: quia videtur otiosum, & usurpatum ad versũ implendũ Nihilominus mea hæc nõ est lex. Adverbia etiam ęquivalent epithetis. Legat adolescẽs Horatium, Senecam, Lucanum, Virgilium à quibus bonum Epithetorum usum discet.

XVI. Phrasis poetica exprimit (quãdo est opus) nonnullas particulas sermonis familiaris non familiariter. Particulã prohibẽtis ne exprimet Poeta per hęc Imperativa: parce, siste, desine. E.g. Parce metu: pro *ne timeas*: absiste moveri: pro *ne movearis*: desine loqui: ne loquaris. Vocabulũ *multus* exponet per substantivũ. V.g. *copia* mellis pro *multũ mel*: agmen aquarum pro *multis* aquis. Tẽpus futurum exprimet per verbum do, trado. E.g. *multis te tradet mea dextera pœnis*: pro multis pœnis te torquebo. Verbũ *volo* exprimet per hanc formulam: *fert ea corde voluntas*. Vel per aliam: *Stat hæc sententia menti.* Verbum *possum* exprimet per nomen substantivũ. E.g. dicendo, si precibus locus est: pro si possunt preces. Verbũ *nequeo* interdũ explicant per solã interrogationẽ. E.g. Quis omnia fado explicet? idest nemo potest enarrare omnia. Alias per adjectiva nescius, indocilis &c. E.g. indocilis flecti idest nequit flecti: indocilis misereri: nequit misereri, vel per verbũ nego. E.g. illi vita negatur, idest vivere nequit. Denique (quod est maximè adnotandũ) substantivum *Sũ* explicat

plicat per proprietatē illius rei, de qua agitur. Dicet. E.g. *Volat hic ales*: pro *hic est ales*. Et pro *hic sunt milites*, dicet, *hic sævit miles*. Quæ formę loquendi concurrunt ad reddendā sensibilē, actuosā, adeoq; poeticā, & (quantū licet) pingibilē phrasim poeticam. Quod etiam evenit, quando verbū transit in nomen. E.g. cum pro *Desii timere*, dico Timor ossa reliquit: pro *Dormio*. Sopor occupat artus. Plura his discet Adolescens meus ex accurata bonorū Poetarū lectione.

XVII. Phrasis poetica amplectitur quædam alia, quæ hic coacervabo. *Primò*. Aliquando admittit Verba neutra in activa significatione. E.g. Hastā coruscat manu, pro *hasta coruscat*. *Secundò*, Deponētia in significatione passiva, ut uno graditur comitatus Achate; pro comitante Achate. *Tertiò* variat consuetam Syntaxim, ut apparet in illo Ovidiano.

Victor ad ipse suos Cœlo descendit honores

In quo versu præpositio *ad* est transposita, & sejuncta à suis nominibus: debuerat enim dici *ad suos honores*: & Cœlo deest particula A, vel E, vel Ex &c. *Quarto* admittit modos difformes à regulis grammaticalibus. V.g. Cupidus scire pro sciendi, & Urbem quam statuo, vestra est. *Quintò* adjectiva solitariè ponit sine substantivo, V.g. *Altitonans* pro Jove altitonante: *Omnipotens pro Deo omnipotente*.

XVIII. Ex hactenus dictis, quęret aliquis *Primò* An Phrasis poetica sit strictior, breviorve quā Oratoria? Respondeo (si cętera adsint) esse breviorem. Ratio est, quia Poeta res ostendit; Orator autē de rebus loquitur.

Brevius autem ostenduntur res, quã de illis sermo habeatur. Preterea, quot superfluitates amputant Poetæ beneficio Epithetorũ, Verborum gravium, & similium? Certè in toto Poemate Poeta demonstrat: in tota Oratione Orator dicit, & quidem copiosè, ornatè, & (quod caput est) ut vincat, adeoq; immoratur in rebus, & si opus est, replicat. Opus habet multis exordiolis, & insinuationibus, & transitionibus, quæ multũ temporis consumunt: quibus non habet opus Poeta, quippe qui actor nõ est, sed imitator. Non negaverim tamen aliquando sumi à Poeta Oratorẽ imitandũ: tunc autẽ Oratorio quodam modo loquetur. Nihilominus, quia imitabitur (nõ autẽ aget) Oratorẽ, nõnulla tãtũ, nõ autẽ omnia Oratoris habebit

Ex hoc autem discat Adolescens; *Primò* si velit brevem, sed significantem Orationẽ sibi comparare, assuescat uti demonstratione rerũ. Quod ab excellentibus Oratoribus fit quidem, sed dissimulanter, neq; semper, sed cum prudentia illis dictat id esse faciendum. *Secundò*, ut benè interpretetur Poetas, scit animadvertenda sibi esse, quæ hactenus diximus de phrasi poetica. Cum enim hæc discedat in tot rebus à cõsueto, utiq; nõ interpretabitur illos juxtà consuetudinẽ nisi sẽtẽtias extrahat ab illis phrasibus, velutiq; spoliet illis, ut sciat quid verè dicat Poeta.

Secundò. Alius quæret, An obscurior sit Oratio poetica, quam non poetica? Respõdeo esse obscuriorem, quia magis discedit à consueto. Omittunt enim Poetæ (licet facilè subintelligi possint) particulas: utuntur appositis, hoc est substãtivis, sed sine conjũ-

ctione, quæ reddũt difficiliorẽ intelligẽtiã: Ut *Nate meę vires, mea magna potẽtia solus* cum dicendum fuisset; Nate qui es magna potentia: Usurpant abstracta pro concretis. V. g. illius imago, pro ille, &c.

Tertiò: quæret; cum dixerimus admirabilitatem facere ad Orationem poeticam; An ne Oratores præsertim eximii carẽt admirabilitate? Respõdeo esse admirabiles, sed ex alio capite, videlicet ab efficacia, à prudẽtia, à rationibus erutis à visceribus causę, quę (& alia multa) efficiunt, ut Auditor admiretur, quomodo Orator tot potuerit invenire, disponere, dicere, &c. Sed ut benè videtis hæc non est admirabilitas, quam ostendi esse in Poeta.

XVII. Præter figuras quas supra attuli, consistentes in Verbis, aut detruncatis, aut auctis, aut variatis; sũt etiã figurę alię, quas amant Poetæ. Si quæratur, quæ sint? Respõdeo omnes, sed præsertin, quæ excitant admirationẽ, & affectũ. Propriè tamẽ poetarũ peculiari modo sunt Apostrophę ad res inanimatas, ad saxa, ad flumina, &c. Sciat enim Adolescens meus, cũ poetę versẽtur in imitatione omniũ affectuũ, & possint introducere quascunq; personas loquentes, ipsique etiã in propria persona dicere, nullã esse figurã Oratorũ propriã, qua non utatur poeta, artificio tamen proprio. Et certè cũ figura sententiarũ nihil aliud sit, quam effectus alicujus affectus, quis non videat imitatori omniũ affectuũ convenire usum cuiuscũq; figurę? Id elucet in Poetis omnibus, pręsertĩ ubi Orationes habẽtur, & in Elegiacis, licet non excludã Melicos, Tragicos, Epicos, &c.

(a) XVIII. Conciones, Orationesq; omnis generis habent Poetę: de quo non est dubitandum. Quęri potest in quo differant ab oratoriis? Respondeo in primis convenire cum Oratoriis in locis Topicis, à quibus petunt rationes, & argumenta illi, qui orant. Adeoq; quantũ ad hoc, iisdẽ fõtibus utũtur Oratores, & Poetæ. Poetæ inquam omnes, quia omnes utuntur Orationibus ad aliquod ex tribus generibus dicendi spectãtibus; de quibus Rhetores. *Secundò* respõdeo differre, quia Poetæ imitantur, Oratores, & historici faciunt. Id si frequẽter meminerit Adolescens meus, à multis se facillimè quęstionibus liberabit. Propterea Orationes, sive cõciones Poetarum sunt breves. Quare? quia sunt imitationes earũ quæ fiunt, non pro rostris ab Oratoribus, sed à certis hominũ classibus inter se Adeat adolescens meus Virgilium in lib. Æneidos XI. percurratque Orationes, quas habent Turnus, & Drances videbit in iis rationes petitas à locis Oratorũ, sed tractatas diverso modo ab Oratorio quia duo illi Duces non dicebant ut Oratores, sed ut Duces. Cęterũ Regula universalis & optima cõponendi, nescio an dicã Orationes, an potius locutiones poeticas, petẽda est à qualitate personarũ, negotiorũ, circũmstantiarũ, &c. Ex quibus fiet, ut unico versu, aut duobus (certè benè paucis) concludatur aliqua ex his concionibus. Quod erit adolescenti meo signũ cognoscendi earũ diversitatẽ Orationũ à forensibus. Nulla Oratio forensis est tã brevis, quã longissima Poe-

(a) *Quales sint conciones poeticæ.*

Poetarū. Nulla Poetarū lōgissima adęquat vel brevissimā Oratorū. Potius apud Historicos (qui in multis, præsertim autē in concionibus accedunt ad Poetas) habētur brevissimæ cōciones, similesq; quoad hoc, poeticis, quāquā cæteroqui sint ab iisdē diversissimæ. Non nego tamen haberi sermones longos à Poetis; sed duo dico: alterū hos tā longos sermones nō haberi, quādo imitātur. Alterū si habeātur, quādo se nō immutātes, (neq; idcirco imitantes) ex propria persona loquuntur, tunc nō se gerere ut poetas, nisi quoad unā partē juxta illa, quę supra docui. Quare eorū exemplū adolescenti meo nihil negotii debet facessere. Experimentū docet, si nimis in lōgū producāt suos sermones hi semipoetę, tędio maximo esse Auditoribus.

(a) XIX. Fontes nonnullos aperire placet cōparandæ admirabilitatis adeò necessariæ Poetis. Primus sit usus Phātasiarū. Sunt autē Phantasiæ conceptiones, quas animus sibi fecit rerū, velut si eas res deberet āte oculos ponere. De his phātasiis loquitur copiosè Lōginus auctor magni pōderis. Usurpāt Phantasias pictores; quid mirū si commendētur eędem Poetis? Adeò illis sunt cōmendandę, ut tota poesis dividatur in Phantasticā, & Icasticā. Quatenus admonetur Poeta suū munus esse, aut de suo invenire sibi phātasias (quod fit per phātasticā) aut ab historiis illas petere (quod fit per icasticā) ut illas ad se transferat. Cū autem dixi ab historiis, debeo ita intelligi, ut nomine rei historicæ ve-

(a) *Fontes ad comparandam admirabilitatem Poeticam.*

veniat id quod eſt, vel fuit, ſive extet in hiſtoriis, ſive nō. *Secūdus* fōs habetur ex lectione bonorū poetarū; ſi enim tales sūt, abūdabūt phātaſiis. *Tertius* fōs habetur ex obſervatione tabularū à pictoribus egregiis, aut delineatarū, aut coloratarū. Incredibile eſt, quātū hinc proficere poteſt poeta. *Quartus* fons eſt lectio Prophetarum: cum enim illi verè fuerint Vates, & divino ſpiritu afflati, phātaſias tā excellētes ſubminiſtrāt, ut illis collatę vileſcant illę, quas Poetę prophani excogitarunt. Cōtinentur phātaſię propheticæ ſæpè in una metaphora. Qualem Deus bone phantaſiā non dicamus eam eſſe, quam David expreſſit dicēs: *Mōtes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni oviū?* Aut illam. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Jordanis, quia cōverſus es retrorsū?* Qualem Iſajas capite XIV., in Baltaſſare, ad Inferos ducto? Unum admonendus eſt Adoleſcens, ne phātaſias omnes, quę ſuo naſcētur in animo, admitat, ſed ad tribunal rationis eas examinet.

XX. Etiam commendandum eſt adoleſcenti, ut in ſuis poematis curet eam modulationē verſuū, quæ capax ſit muſici cātus. Verè enim etiā cū muſicis (quorū ars inter imitatrices ab Ariſtotele ponitur) cōvenire debet Poeta. Quod dixi, quia nō pauci harmoniā contemnunt verſus, cujus tamē fuere ſtudioſiſſimi boni quicumq; poetæ; præcipuè Virgilius, cujus aurem delicatiſſimā in deprehendenda, curandaq; harmonia auctores mirabiliter efferunt. Certè Horatius non fuit contentus poemata pulchra cōponi, niſi pariter eſſēt dulcia, propterea docuit *Nō ſatis eſt pulchra eſſe poemata, dulcia sūt.*

Et

Et quocumq; volét, animũ auditoris agũto.
Quasi innuat, auditores agi quoquo versum à Poetis per dulcedinem harmonię nascẽtis ex numeris poeticis quidem, sed eleganter factis. In quo an peccari possit (salvo etiam metro poetico) discat Adolescens meus ex præceptis, quæ traduntur de arte versificatoria; neq; illa cõtemnat. Ab illis hoc discet, vitanda esse Poetæ (ut plurimũ, & nisi judicium aliter doceat expedire) verba quædã durissima, & præterea familiarissima. E.g. *Amavissemus*. Quod vocabulum attuli, ut me explicarẽ. Familiarissima, imò vilissima usurpant Comici; sed illi, quoad phrasim, & numeros, profitentur se accedere ad vulgarẽ sermonẽ, à quo cæteroqui vix discedunt. Etiam Satyrici hæc verba usurpant. Verùm Tyro poeseos, modò non mittitur à me ad hos poetas. Meminerit carmẽ dici à canẽdo quasi canimen. Eaq; de causa Scaliger in suis doctissimis libris apposuit notas musicales, ad quarũ tonũ decantari potest Æneis Virgiliana. Et propterea intelligetis, cur versus (hoc versutæ Orationis) dẽtur poetis: id enĩ fit, ut recordentur Orationẽ suã debere esse modulabilẽ, cãtabilẽ, capacẽq; tonorũ Musicorũ, quod procul dubio nemo attribuet (ex natura saltẽ sua) Orationi forẽsi, etiam Ciceronianę, quę est fori, nõ Odæi, & prę lii, nõ ludi. Hinc apud Ovidiũ lib. 5. Metamorphoseon Calliope non loquitur, nisi prius.
Querulas pertentet pollice Chordas; (sus. quibus pertẽtatis, subjũgit dulcissimos ver-
Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimẽtaq; mitia terris;
Prima dedit leges; Cereris sũt omnia plena

His certè dulcissimis, & cantabilibus Ovidii versibus non respondent durissimi (consulto tamen sic facti) versus, quos habet Horatius. Videlicet.

Ambubajarum Collegia pharmacopolæ.
Mendici, Mimi, Balatrones, hoc genus omne
Mẹstū, ac solicitū est cātoris morte Tigelli.

Cani enim non possunt; ut patet, si ex nullo alio capite, certè ex hoc, quod carent intervallis, quę ex cæsura, & commatis nascūtur, & ad harmoniā mirificè cōducunt. Hoc autem Tyronē meū admoneat; ut componens carmina, solicitus sit de numeris, & harmonia. Animadvertat tamē non omnibus carminibus eosdē convenire numeros, eandēque harmoniā. Quædā enim canuntur Tubis quædam tibiis, quędam lyris, quædā nabliis. Proinde cautus, prudensq; Poeta videre debet quid cōponat; heroicū ne? An bucolicū? An Elegiā? An Oden? &c. Heroicam majestatē decent numeri graves, & ad Tubam cātandi, eaq; de causa gravissimus omniū versus, hoc est hexameter illi est attributus. Qui propter multitudinem pedum multipliciter variabilium & combinabiliū diversos etiam numeros (salvo semper metro spondeorum, & dactylorum) sufficere potest. Quod tanta amplitudine nulli alii carmini convenit. Elegia (cum ex natura sua facta sit ad querimonias, licet procedentibus annis etiam amores, & alia admiserit) numeros mitiores amat. Lyrica poesis dulciores. Pastoralis avena simpliciores. Quæ omnia qui scit distinguere, ostendit se carmen intelligere; adeoq; etiā noverit ęstimare, & judicare rectè poetas, eosq; imitari.

(a) XXI.

(a) XXI. In gratiam autem mei Poeseos Candidati, placet exemplo id clarũ facere. Proinde sententiam propono prosaicè elaboratam, cum impedimentis Prosatorum propriis; quam deinque ab optimo Poeta dabo ad Poesis numeros redactam, & elegãtiam. Sententia est hujusmodi. *Quis felicitatem illius oratione prosequatur, qui molestiis urbanæ vitæ derelictis, antiquorũ simplicissimos mores imitãdo, ad agros excolendos, quorũ se Pater declaravit moriẽs heredem, se confert; illorũq; se facit aratorẽ?* Hanc Orationem expedivit ab omnibus involucris Horatius, & ineptã numeris, cãtuiq; reddidit suę dulcissimę lyrę accõmodabilẽ. Cecinit enim sic *Beatus ille qui procul negotiis*

(Ut prisca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

Videt ne Tyro meus, quid immutaverit optimus Lyricus ex illa prosa? Videt ne, ut longã formulã: *Quis felicitatem illius Oratione prosequatur?* in solũ vocabulũ *Beatus*, & pronomẽ *ille* redegerit? Videt ne quomodo aliã prosæ formulã, *qui molestiis urbanæ vitæ derelictis* citissimè, & elegantissimè, & cõcinnè ad lyrã tribus vocabulis cõcluserit dicens *qui procul negotiis?* Aliã verò *Simplicissimos antiquorũ mores imitãdo* felicius expressit versiculo illo. *Ut prisca gens mortaliũ?* Videt ne tandẽ, quomodo paucis, iisque elegantissimis, plurima illa restrinxerit, quæ à Prosatore dicebantur, cũ cecinit *Pa-*

 ter-

(a) *Exemplum Orationis solutæ in Poeticam conversæ.*

terna rura bobus exercet suis? Brevissimè lõgã illã sententiã dixit, nil omittendo eorũ, quę illa continebat: sed quã elegãtiùs? Quã expeditiùs? Quã evolutiùs? Si oculo simili legerit meus Adolescens poetas, eosq; redegerit ad Sermonẽ Prosaicum, Prosaicosque Sermones ad Poeticos, ipso exercitio discet facillimè quæ hactenus ostendi: reddetque Orationem suam equestrem, & capacem ascẽdendi Montem Parnasum, ad quem, aut pedestris (Oratio scilicet soluta, sed vilis, aut sublimior, sed quadrigis vecta) hoc est Oratoria habens impedimẽta periodorum, amplificationum, & cæterorum quæ sunt illius propria, nunquam poterit ascendere.

(a) XXII. Quæ cum magna sint, idcircò Poetæ se putant ea consequi non posse, nisi furore poetico adjuventur. Propterea omnium Poetarum est illud.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo: Qua de causa dicuntur honorificentissimo nomine esse Vates; perinde ac illa, quæ ipsi canunt sint à vi humanã excedente. Debet tamen Adolescens meus meminisse furorẽ, quẽ nõnulli Ecstasim quãdã, sive alienationẽ mentis extra se raptæ appellant (de quo hic obiter, plura enim dicere nõ est mei instituti) esse poeticum, non autẽ quemcunq; alium. Quis enim nescit esse furores mulierum? Esse ebriorum? Esse delirorũ? Talis nullo modo est furor poeticus, est enim sapientissimus, ut patet ex Poematis magnorum virorum. Docent multi furorem poeticum esse bilem calidam, quæ exardescens, & ad caput

(a) *Quid sit furor Poeticus.*

caput ascendens, tum excitat ingenium, tū hominem vehementer turbat; in quo calore, & turbatione cōcipiuntur rara, & admirabilitatē (non monstruositatem, quod animadvertat adolescens, ne dum putat se esse admirabilem, fiat mōstruosus) habitura. Ut proinde boni Præceptores soleant identidē Tyrones Poeseos admonere, ut se turbent, antequā carmen scribant. Igitur vi excitatę in homine ingenioso, eruditoq; bilis, & fit phrasis à cōsueto discedēs, & methodus admirabilis, & figuræ vivaces: præsertim si cū bile excitata, etiā affectus aliquis (prędominaturus in poemate) excitetur; cui si Poeta indulgens ab illo se patiatur abripi, excellētissima canet. Poetæ lyrici, & qui Sylvas cōponunt, maximè præseferunt hunc furorē. Et primi quidem, quia adjuvātur à lyra: secundi autem, [cū extéporales ferè sint, & ex tépore abrepti ab affectu erga rē, de qua canunt] ardentissimos versus fundunt: adeoq; condonantur illis excessus, qui ex Enthusiasmo nascuntur. Horatius [facetè potiùs quā verè] attribuit suum calorem amphorę quam etiam interdum invocat. Fortassè excitabantur in illo spiritus beneficio vini. Poetæ Epici [& cæteri, qui se immutant, ut Dramatici] non furunt in structura, quæ est opus non minus judicii, quàm ingenii. Furunt igitur, dum imitantur, & sententias aliorum referunt [ex suo, enim, & ex se sententiam nullam profert perfectus Epicus, qui ex sua persona solum narrat; juxtà doctrinā traditā] & dum describunt. Imò furor eorum, qualiscunq; sit, diversus est à furore melicorū, sive lyricorum (multò magis

dithy-

dithyrambicorum, qui sunt furiosissimi) hi enim patiūtur se omninò abripi, & eunt per avia, & invia, neque regunt Pegasum, sed à volante Pegaso reguntur (verius abripiuntur. Epici autem sunt sibi attenti. Ex quo apparet discrimen inter sylvas Statii, & inter Epopæjam Virgilij. Statius enim in sylvis furore, aut proprio, aut Bacchi abreptus, insanire videtur: Virgilius autem regitur a furore Apollinis. Sicut autem est elegātior Apollo Baccho, ità elegantiorem furorem inspirat, vi cujus dicuntur poetæ vaticinari potius, quam furere. Nihilominus puto Tyronem exercēdum esse in Sylvis antequam Epopæjam (etiam parvam, & Poemation) aggrediatur. Expedit enim Adolescentem per excessum peccare (dum primò incipit esse Poeta) quam per defectū vigoris. Procedentibus deinde annis, & studiis, mitigato æstu, redigetur ad tēperiē, quæ est propria Virg. & meliorū Poetarū.

XXIII.

(a) Cœterum, utile esset Adolescenti, dissolvere loca poetarum à numeris, sive metro; considerando enim illa sic dissoluta, appareret illi clarius, quid sit proprium eorumdem: in quo consistat eorum phrasis &c. Examinemus in gratiam Tyronis poeseos sequentes Virgilii versus,

Ac veluti sūmis antiquā in mōtibus ornū,
Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant
Ervere Agricolę certatī: illa usq; minatur

Et

(a) *Quomodo possit cognosci Oratio, an sit poetica, nec ne.*

Et tremefacta comã, cõcusso vertice nutat
Vulneribus donec paulatĩ evicta supremũ
Cõgemuit, traxitque jugis extrema ruina.

Apparet inprimis similitudo (familiarissimæ sunt Poetis similitudines, non solum quia ornant, & delectant; sed etiam quia prębent iis occasiones imitandi) ex qua conficitur comparatio Deorũ conjuratorum in excidio Troię, & Agricolarum eruẽtium ornum, *Secundo* est imitatio nata ex vivacissima hypotiposi Agricolarum occupatorum in excidenda orno, & per minutias ad rem hanc facientes formata. *Tertio* datur anima *orno*, eidẽque affectus, dũ dicitur cõgemuisse; & fingitur tamquã homo, habens caput, & vulnera sentiens. *Quarto* numeros habet præstantissimos. *Quinto* ponitur adjectivum in voce *supremum* pro adverbio: adeòque discedit à regulis grammaticalibus, sed cum virtute. *Sexto* abundat Epithetis, & quidem efficacibus. *Septimo* quanta brevitas! Si in prosã illi versus redigantur (quod fecit Pater Jacobus Pontanus Societatis Jesu, qui totam Æneidem soluta Oratione expressit) quam longiorem sermonem sententiæ allati loci peterent? *Octavo* quis non videt delectum vocabulorum? *Nono* etiam adverbia *certatim*, & *paulatim* habentia vim Epithetorũ ad brevitatem faciunt. *Decimo* ex his omnibus quàm expedita est Oratio, & verè equestris? quam admirabilis, adeòque tota poetica nullo autem modò prosaica?

Sed nequaquàm (specie admirabilitatis) monstruosa, portentosa, sed sapiens. Quod puto inculcandum esse adolescenti, facilè enim

enim est illi in monstra vana degenerare, dum credit se facere admirabilem.

XXIV.

(a) Si hunc laborem velit sibi suscipere Adolescens meus, etiam in aliis locis, aut Poetis, deprehēdet eorum elegantiā: Videbit Poetas, quotiescumque illis datur occasio imitandi, tam avidè illam arripere, ut potiùs à quibusdam alijs abstineat. Breves sunt in transitionibus, quas ferè unico verbo, eoque monosyllabo (si fieri potest) absolvūt. Ut patet in Virgilio, qui à libro trāsit ad librum unica voce. E. g. à secundo ad tertium per particulā *Postquam*: à tertio ad quartum, per adversativam *At* ab hoc ad quintū, per *interea*: & ad sextū per *Sic*: Sic terminat cōciones verbulo *Dixit*: *dixerat*. Præparationes, quæ tātę sunt apud Oratores, vix habēt Poetę, &c. Ratio est; quia res hujusmodi nō cōferunt ad creādā admirabilitatē, neque ad imitationē. Videbit imagines rerū ab illis frequentari. Tādē (ut finē huic opusculo faciam) videbit, quā differat Oratio Poetica, à non poetica: Sermo quotidianus (ut extrà scholas habetur) nullum omninò habet artificiū (artificiū enim est cōsilii, & electionis) cum sit qualis à natura rudi unicuiq; suggeritur, nulloque modo spectat ad stylum, hoc est ad curam, & ad diligētiam. Dialogus aliquid artificij (licet valdè parum quoad elocutionē ex sua natura) habet. Epistola aliquid āplius. Orator multò plus. Historicus etiā suprà Oratorē, Poeta suprà hos omnes. Ratio harū diversi-

(a) *Quædam propria poetarum*.

tatum est, quia Dialogus imitatur actionem familiarem, & est linguæ puritate cõtentus. Epistola (quia scribitur, adeoque habet aliquid cogitationis, qua Dialogus ex sua natura caret) habet plus artis. Quia tamen ad amicum dirigitur (boni, & æqui omnia, quæ ab amico veniunt, consulentẽ) parũ artificii petit. Oratio, quia ad populũ habetur, plus artis postulat. Historia, quia subiicitur oculis, qui sunt judices severissimi, multo plus se colit. Poeta quia vult esse admirabilis, omnia ornamẽta quærit. Posset etiam adolescens ex poetis proficere prò Oratione soluta: quatenus illã curaret reddere semipoeticam; hoc est qualẽ dicũt, periti linguæ græcæ esse Orationem Platonis. Fiet autẽ semipoetica, si à poetis desumantur ea, quæ veritati nõ derogant, cujus maximè solicitus est bonus quisq; Prosator

(a) XXV. Etiam laborant Adolescentes in exprimẽdis poeticè sententiis, quæ illis videntur esse simplices: cujusmodi ferè sũt, quæ petuntur à rebus, aut familiaribus, aut piis. Dixi *illis videntur*, ut admoneãtur, vix sẽtentia esse, quę simplex non sit, cõsiderata sicut est in mẽte: in qua cũ careat omni sẽsibilitate, utiq; simplex est. Quare si ad poetã ea de causã nõ spectarẽt sẽtẽtiæ, quia sint simplices, nimium arctaretur ejus campus. Utinã brevitas quã mihi pręfixi, pateretur me epistolas familiarissimas Tullii arripere, & versibus cõcludere? Appareret eas esse

(a) *Tentet Adolescens (exercendæ venæ gratia) metro alligare epistolas Tullii vel aliorum.*

se capacissimas elegantiæ, qua Ovidius utitur, & Propertius, cæterique elegiaci. Videat Adolescens quomodo Juvencus Poeta antiquus, expressit adventum Regum ad Bethlemicum specum; & quidem inhærendo narrationi, quam habet Divus Matthæus cap. 2. lib. 1. de Evangelica historia.

a *Gēs est Eoi 1 Phœbo orto 2 proxima Regni*
Astrorū 3 solers ortusq; 4 obitusq; notare
Hujus 5 primiores, nomen tenuere Magorū.
Hinc lecti 6 proceres, Solymas 7 per longa viarum
Deveniunt 8 Regemque adeunt 9 orantque doceri
Quę regio 10, Imperio puerū Judęa teneret
Progenitum, & sese 11 Stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos 12 venisse viam, quò 13 supplice dextra
Exortum 14 terris venerabile 15 numen adorent.
Teritus Herodes 16 vatum, legūq; peritos
Quinque 18. Prophetarum veterum præsagia noscunt,
Imperio accitos 20 jubet omnia quęrere legis,
Quo pateat 21 quæ sint genitalia mœnia 22 Christo,
Omnia venturum spondent quem oracula 23 vatum.
Tunc manifestatur, 24 Bethlem quod mœnibus

---

a *Conferat Adolescens loca, in quibus sunt notæ Arithmeticæ cum capitibus, ex quibus docuimus fieri phrasim poeticam, ut & hic recognoscat si non omnia certè multa.*

bus 25 illum
Progigni maneat 26: cui ſacram ducere plebem 27
Iſraelitarum ſacra virtute neceſſe eſt. 28
Tum jubet Herodes 30 Perſas contendere 31 greſſum,
Inventumque ſibi puerum monſtrare 32 colendum.
Ecce viæ in medio 33 ſtellam præcurrere 34 cernunt
Sulcantem 35 flammis auras, quæ in culmine 36 ſummo
Reſtitit 37 & pueri luſtrata 38 habitacula monſtrat.
Gaudia 39 magna Magi gaudent, ſiduſque 40 ſalutant
At poſtquam puerum videre ſub 41 Ubere matris,
Dejecti 42 prono texerũt 43 corpore terrã,
Submiſſique 44 ſimul, mox myſtica 45 munera promunt
Aurum 46, Thus, Myrrham, Regique 47 Hominique, Deoque
Dona ferunt. Totam mox 48 horrida ſomnia noctem
Sollicitant 49 ſævumque jubent vitare 50 Tyrannum
Denique diverſis Herodis 51 callibus aulã
Diffugiunt 52, patriamque Magi rediere 53 latentes.

Simpliciſſimæ videbantur Adoleſcentibus ſententiæ, quas Salomon in Eccleſiaſte comprehendit ad vanitatem rerum humanarum ſpectantes. Illas tamen Pater Laurentius Le Brun Societatis Jeſu poeticè veſtivit in opere, quod inſcripſit Pſycurgicon,

con, sive de cultura animi. Ecce specimen. *Verba Ecclesiastæ Filij David Regis Jerusalem 2. Vanitas, Vanitatum (dixit Ecclesiastes) Vanitas, Vanitatum, & omnia Vanitas lib. 3. Quid habet ampliùs homo de universo labore suo, quo laborat sub Sole? 4 Generatio præterit, Generatio advenit, Terra autẽ in æternũ stat.* Hęc laudatus auctor sic reddidit

1 Quæ Salomon 1 Davide satus, 2, Rectorque Sionis
Proximus à primo 3, mentis præcepta colendæ 4,
Ediderit, dictis aures adverte 5 docebo.
2 Omnia mentitis 6 illudunt vana figuris,
(Ingeminat 7 Sapiens) nihil est nisi futilis umbra,
Quidquid 9 grande sonat, vultuque 10 tumescit inani.
Non ea sunt 11 tanti: Mendaci 12 splendida fuco
Perstringunt 13 habetes oculos, & imagine 14 pulchra
Sensibus illudunt, 15 solo pretiosa colore.
3 Quis tibi tum fructus 16, cum mille 17 per obvia vitæ
Tædia 18, per casus, varięque pericula sortis 19
Anxius ingratos 20 in luctibus egeris annos?
Quippe laboris erit tanti 21 Labor unica merces.
4 Mortibus alternis 22 soboles humana 23 perennat,
Atque per æternos 24 ortus, æternaque 25 passim
Funera 26 statque 27 caditque, nec unquam

quam intercidit 28 orbis.
Fit natus Patri 29, fit Matri nata 30 superstes.
Ille perit 32 nascente alio 32, gnatusque parentes
Excipit: huic 33 proles succedit, & ista 34 vicissim
Casuram sobolem 35 reparanda in damna 36 propagat.
Sustinet hanc scenam 37 tellus stabilita 38 polari
Axe 39 super &c.

(a) Psalmum centesimũ decimũ sextũ. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eũ omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum*, metro latino sic vertit Pater Ludovicus Magnetius è Societate Jesu.

Immensis Tellus spatiis 1 quà tenditur, omnes
Authorem 2 laudate Deum; gentesque 3 plageque, (sacris
Seu genus 4 Isacidum, vetitis 5 seu dedita
Pectora, 6 nã stabili verax pietate fovere
Nos amat, & 7 patriis jurati 8 fędera pacti
Adstruit 9 Officiis, 10 secumquè implebit in ævum.

Arias autem Montanus metro lyrico, brevius convertit.

JAM 1 dicite laudibus
Omnes undique 2 Gentium,
Orbis 3 natio plurima
JAM concelebrate.
Ejus nam Bonitas 4 adest
Nobis

(a) *JAM, sic appellat Deum hic auctor*

Nobis 5 robore maximo.
JÆ & perpetua est fides.
Ergo IAH 6 halela bonum.

Threnos Jeremiæ Pater Gaspar Sanctius elegiacè vertit. Ecce versiculos primos. *Quomodò sedet sola Civitas plena populo; facta est, quasi vidua Domina gentium; Princeps Provinciarum, facta est sub tributo?*

Quomodo sola Sion 1 charis populosa, 2 frequensquè
Ante 3 viris, eheu 4 quomodo sola sedet?
Quæ jura 5 in populos latè dabat 6 ampla subactos,
Nunc viduæ in morem 7 clausa 8 gemensque 9 silet.
Nec leve 10 dat gravibus dominis 11 captiva tributum
Urbs domina 12 & claro nobilis imperio.

Pater Joannes Commirius Societ. Jesu vertit historiã Jonę elegantissimo metro. Ecce frustulum ex c. 2. *Et præparavit Dñs piscem grandem, ut deglutiret Jonã, & erat Jonas in vẽtre piscis tribus diebus, & tribus noctibus*

Immenso 1 intereà torquens 2 sub pectore fluctus
Acta Dei nutu 3 Pistrix sectatur 4 Jonã,
Gurgitibus mediis 5 luctantem, & vana 6 moventem
Brachia 7 deprehensũq; ĩmani sorbet hiatu.
Nõ tamen 9 & sævos mẽbris infigere dẽtes
Ausa fuit, 10 metuitque suam 11 contingere prædam.
Tres 12 adeò Soles, totidemque 13 ex ordine noctes
Cæco 14 inclusum utero 15 perhibent servasse sub undis.

Ne

Ne 16 tamen ab tantis incredula demere 17 rebus
Corda fidem 18 sperate: idem qui testis & auctor,
Astruit, & toto juratus 19 numine firmat.

Idem suavissimo versu prosecutus est quæ apud Danielem habentur capite decimo quarto. Particulam illius ecce: *Dixit Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu Leonum, & dixit Habacuc: Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio, & apprehendit eum Angelus Domini in virtute eius, & portavit eum in capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu Spiritus sui.*

Ecce autem Cælo iuvenis delabitur 1 alto,
Veste in purpurea 2 radiisque 3 comantibus auro
Lucidus 4 Effer 5 ait, tumidę 6 Babylonis in aulam
Has epulas 7 sævo Daniel ubi clausus 8 in antro
Jeiunos inter 9 jejunus & ipse Leones
Dat fidei pęnas 10 & Religionis avorum.
Cui vates 11 nec visa, inquit, Babylonis 12 iniquæ
Mœnia sunt, 13 dirum nec quæ via ducat in antrum
Explorata mihi 14: sed si sua Sancta voluntas
Ire iter 15, ignotisque jubet me 16 credere terris.
Te duce 17 non metuam cuicunque 18 subire periclo.
Talia 19 jactanti dextra caput 20 occu-

cupat Ales,
Implicuitque 21 comas digitis: simul ocyor 22 Euro,
Ocyor 23 & penna labentis 24 ab æthere flammæ
Suspensum 25, visu mirabile, crine per 26 auras
Fert 27 impune virum, & speluncæ in limine 28 sistit.

Discat ad his exemplis adolescens, praxim vestiendi poeticè illas etiã sententias, quæ sibi videntur simplicissimæ. Legat Sanazarium de partu Virginis: Vidæ Christiadem, & hujusmodi. Utinam prodeat in lucem Poema, quod de Christi infãtia audio præparari à suavissimo Patre Thoma Cæva Societatis Jesu. Discetur, quomodo pia quæque poeticè eleganterque vestiri possint.

XXVI.

(a) Atque ex his, quæ hactenus dixi, puto me ostendisse (si non omnia) multa discrimina intercedentia, inter Orationem Poeticam, & non poeticam. Porrò cum tot petat poeta, ut admirabilis fiat, oro, obtestorque Adolescentem Christianum, ut videat, an tanta supellex ingenii, judicii, doctrinæ, laboris sit consumenda in argumentis luxuriosis, & ad perniciem morum, animorumque, cum Divina offensa ducentibus? Arbitror (quod spero) se tot, tantasque margaritas projecturum non esse ante Porcos. Deus Optimus Maximus, in cujus gloriam hæc scripsi, Faxit.

FINIS.

(a) *Conclusio hujus Opusculi.*

